

cm
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

**SCONDIAE ILLUSTRATÆ
VOLUMEN SECUNDUM,**

Vel
TOMUS XI.

In quo

**ANALECTORUM SCONDICORUM
LIBER PRIMUS.**

Sive

**APOLOGIA
HISTORIÆ SVECANÆ,**

Magnam partem Historiæ Ethnicæ Regnum Borealium

Complectens:

Quam

*Ab Orbis diluvio, & Anno Mundi MDCLVI. ad Salutis
humanæ DCCC. fideliter compilavit Kajanaburgi*

JOHANNES MESSENIUS.


Ex MS:to Auctoris

edidit

JOHAN: PERINGSKIÖLD.



**STOCKHOLMIÆ,
Literis OLAVI ENÆI, Regii Archivi Antiquitatum Typographi,
ANNO CHRISTI MDCCIII.**





ANALECTORUM SCONDICORUM LIBER I.

Sive

APOLOGIA HISTORIÆ SVECANÆ.

Illustre Suecorum Gothorum-
que regnum, à cuius primordio hanc Chro-
nologiæ Censuram, qua par est fidelitate & sedulitate
modo traducturus, amplexu magnæ Germaniæ , de-
sententia vetustissimorum Cosmographorum continetur.
Quippe amplissima Scandia regna , Sueciam , Gothiam & Norve-
giam , illorum plerique limitibus Germaniæ comprehendunt , velut
Albertus Crantzius locuple nobis in vestibulo suæ Historiæ perhibet te-
stimonium. Hæc verò peninsula , boreali parte mundi sita , multis ve-
terum ignota fuit Historicorum, ut ex eodem liquidè constat. Et post-
quam sub imperio Vespasiani quorundam occœpit calamo aliquantulum
inclarescere , multimodo nominis vocabulo sensim deinde obscurata deli-
tuit , donec clarissimus Gothorum encomiastes & alumnus Jornandes,
ipsam toto orbis conspectui sic manifestam reddidit , ut pristinæ vetu-
statis caligini non sit amplius caput submissura. Hæc itaque non Baltia ,
nec Basilia , aut Scanzia , Scandinavia vel Scania , sed Scandia , nominis
genuina compellatione , de regionis amœnitate vocabulo primitus de-
rivato , dicenda , à Cajo Solino , maxima omnium Insularum Germa-
niæ ; à Plinio , clarissima & amplissima , alterque velut terrarum orbis ,
propter incompartam ditionum amplitudinem ; Et denique ab Antistite
Ravennate , vagina gentium jure appellatur. Utpote cum non fortissi-
ma solum agmina Gothorum , sed & aliae triginta strenuissimæ nationes ,
variis inde temporibus egressæ , ut ex sequentibus evadet paginis mani-
festum , debita reverentia matrem agnoscant , & vicissim de tanta
sobole non immerito ipsa sibi gratuletur.

Circumdatur autem tota propemodum Scandia maris vastissimi
fluctibus , quod ab Oceano per angustas admodum fauces ingrediens
occiduo , Cimbricam Chersonesum , ab ipsa separatam Saxoniæ conjun-
ct. Deinde plagam Gothiæ contingens sinu laxiore meridionalem , bina

Scandia.

A

ex

Descriptio Scandiae. se protendit brachia; quorum unum secus litora Sueciæ orientalia in boream longissimè protensum, limites contingit Lapponiæ. Sed alterum in sinum usque Venedicum porrectum versus aquilonem, cum altero nobilissimam Finnonum peninsulam suo claudit amplexu. Meridianam verò Scandiae provinciam australes occupant Gothi, arctoam Biarmj, occiduam Norvegi, & ortivam Finlandi, Moscoviaæ contermini. Quocirca regnum Góthorum, australes Scandiae complectens ditiones, à meridie, ortu & occasu, sinu alluitur Gothicò, à cuius boreali latitudine Suecia & Norvegia, velut rami duo prolixí de uno prodeunt arboris stipite, ad septentrionalem usque diffunduntur Oceanum.

Interim Gothia domi in suo fovet gremio regiones amplissimas, quarum potissimæ, Ostrogothia orientalium, & Westrogothia occidentalium terra Gothorum, in plurimas, ipsasque populosissimas dispergitæ provincias. Verum de occidua Gothia austrum versus progredientibus, diffusæ terrarum ditiones, Hallandia, Scania & Blechingia occurunt, olim calliditate Danorum regno Gothorum nullo jure subductæ, & marte deinceps vario frustrà sæpius repetitæ. Atqui his ad occasum relictis, Smalandia, Gothorum australium exsurgit patria, Verendiam & Mæringiam, primævum Longobardorum natale solum complexa. Hujus autem litoribus objacet, exiguo maris interlabente sinu, amoenissima Oelandorum insula; A qua non multo undarum semota spatio, famosa illa veterum insula Gotlandia, primam Gothorum agminibus de Scandia se turmatim effudentibus, olim imperitiens stationem, longo deinceps seculorum decursu Regi Gothorum auscultans, donec superiori seculo per fraudem subjiceretur Danorum imperio.

Suecia Scandiae regnum, indigenarum frequentiâ & divitiarum abundantia reliquis longè præstantius, à septentrione Biarmiâ suppollarí in citeriorem & ulteriorem partita, & utraque Lappia meridiem versus, vastissimaque Scrifinnia ad orientem clausâ, circumscribitur. Postmodum immenso regionum discursu comitur Bothnia orientalis, Finlandiæ contermina, & occidentalis, quam limite contingit Angermannia borealis & australis; Ab occiduo latere Jemptis, & meridiano conjuncta Medelpadis, Helsingiæ tandem oris & Gestriciæ ad austrum fusæ procurentibus. Atque hanc quidem comitatur primaria Sueonum ditio Uplandia, Regiam observans Stockholmiam, ad aquilonem Dalecarlorum & Metalliferorum frequentissimis regionibus, & sub occasu Vesmanniæ & Nericiæ cultoribus crebro stipata, quibus ex adversa accedit plaga ditio Sudermannorum.

Denique ex Suecia & Gothia, orientem versus nobis vela nunc facientibus, medioque fermè pelago Alandiam patriam Alanorum, piscium proventu insignem, prætermenſi, se præbet. Finlandia contemplandam, in occidua sui parte duplē complexa regionem, borealem, versus arctos populos prolixè secus litora excurrentem Suecorum, & australē in meridiana Finnoniæ protensam litora; Cui latus stipat orientale Nylandia, prope sinum Venedicum capto exordio, & in ortum ad occiduos Moschorum limites progrediens, obviam habet Carriam; Quæ Moscoviaæ ad orientem, & Sueciæ cui paret, ad occidentem valedicens, in Septentrionis penè ultimam properat regionem. Mediterraneas autem Finlandia ditiones; Tavastiam, Satagundiam, aliasque nobilissimas provincias, moderno & superiori ævo Moschorum dominio Sueonum potentia meritò sublatas, amplexatur.

Ideo-

Ideoque Finnonia tam immensis terrarum pro cursibus diffusa, priusquam Sueciæ partim & Moscovia sub mitteret caput, non uno sed pluribus conspicua fuit diadematibus; prout ipsa quoque Suecorum & Gothorum regna clarissima, XII. in sui primordio Toparchis obedivere, annua regi Upsalensium tributa, velut summo regnorum borealium Monarchæ, ex decreto Othini olim sancto pendentibus, quemadmodum ex progressu operis liquidum evadet. Verum procedente ævo quina duntaxat evasere, & tandem bina solummodo, quæ etiam in monarchiam contraria, uni Suecorum Gothorumque Regi aliquot seculorum decursibus haec tenus obtemperavere. In XV. tamen Ducatus & XVI. Comitatus amplissimos distributa, de his, aliisque patriæ ornamentis & incrementis Specula nostra evidens testimonium perhibente, velut quoque nobis suffragante clarissimo Danorum Poëta Erasmo Michaelio Læto in poëmate Rerum Danicarum, Scandiamque nostram illustrante, Lib. 3. p. 81.

*Scandia quæ magni est siboles E⁹ plurima mundi
Portio, non uni, cum sit vastissima, paret,
Aut se subdit Hero, triplici cœn jure, parique
Pene etiam spacio divisa est Regibus, et si
Prisca tamen plures, cœn fama est Secla Tyrannos
Hic regnasse ferunt, parvis mortalia regnis
Cum contenta forent.
Hæ Sueco gentes etiam cessere; proinde
Huic terræ major jam portio militat, inde
Norvegis.*

Hæc de situ Scandiæ, nunc de Scandiotarum primo in ipsam adventu, quem ante orbis eluvionem negat accidisse vir doctissimus Gilbertus Genebrardus, *Chronolog. Lib. 1. pag. 11.* asseverans primam etatem transactam intra mundi mediterranea, nec ad fines Asiae, Africæ vel Europæ pervenisse. Sed tamen fluctuum exundatione cessante, post sumptam de malitia hominum vindictam, primam in his generis nostri fatetur institutam restorationem; ut fuere, inquiens, generis humani primordia in Armenia, Mesopotamia, Chaldæa, Syria, ibique ante diluvium homines duntaxat incolere, ita aliae regiones ipsæ post diluvium sunt primum habitatae. Verum quod sequenti paginarum contextu, universam fermè circa annum mundi, juxta Funcii suppurationem & recentiorum Theologorum, MMXLI. habitatoribus fuisse destitutam Europam contendat, illud veritati nequaquam consentaneum. Enimvero auctoritate vetustissimorum liquet Historicorum, Berossi Chaldæi, Hieronymi Egyptii, Maseæ Damasceni, Archiloci Græci, Trogi Pompeji, Justiniani, Philonis, Catonis, Jſidori, Diodori Siculi, Josephi, Jacobi Bergomensis, Bartholomæi Angli, Mathiæ Westmonasteriensis, Hermanni Schedels, & Petri Trecensis, aliorumque clarissimorum testimonio Scriptorum, veterum & recentium, quod anno conditi orbis MDCLVI. vindicibus aquis sit mundus obrutus, solo Dei cultore fidelissimo Noa in rate salutari cum octo evadente hominibus. Qui peracto novimeti Habitatio
Scandiæ diluvio, ex arca, in jugo Ocila Scythia Sagæ juxta fluvium Araxin tandem quiescente, cum familia egressus, vastissimas Scythia regiones suscepit incolendas. Atque illis tandem fecundissime non multo tempore repletis, etiam in Scandiam, non minimam Scythia portionem Europæ coloniis ablegatis, centesimo propemodum à cataclismo currente

rente anno, tribus filiis orbem terrarum partitus est, in quem novas sensim deduxit colonias, supremam sibi tamen gubernationem reservans; potissimum verò regionum occidentalium, quas anno CVIII. accessit, & septentrionalium quas CX. evoluto ab aquis anno revisit. CXXXI. autem Nimbrotum Babiloniæ sceptro decoravit, & primum salutavit Chaldaeorum Monarcham.

Quamobrem ille, & avus, propatruique, Sem ac Japhet, gentium sibi commissarum fidelem impendere occipiunt moderationem, sicut & filii, nepotesque. Nam Magogus, Japheti secundogenitus, avi beneficio Scandiæ imperium nactus, illam teste Gotho nostro, LXXXVIII. post eluvionem anno ingressus est, de suo illic nomine Magogas prōseminans gentes, quæ temporis progressu, Goths, Getæ, & Scythæ sunt appellatae. Atque ita constat primam populorum in ditiones arctas hanc fuisse immigrationem, non ex Genebrardi, sed longè vetusiorum & multo celebriorum sententia Chronographorum verissima, circiter annum post mundi exordium, MDCCXLV. institutam.

Ideoque regna Scythica & borealia, tantorum suffragio virorum suffulta, primas originis in secundâ mundi renascentis ætate sibi jure haec tenus meritissimo vendicarunt. Et procul dubio filiis & nepotibus sanctissimus vir Noha, majori zelo sincerae in Deum religionis observationem & propagationem, quam regnum gubernationem commendavit. Ac mandato prompte obtemperans avito Magogus, suæ per borealia mundi climata, una cum reipublicæ habenis, verum Dei cultum tradidit posteritati, cuius observantissima, quam diu primæ innocentiae, & aurei seculi pietas probitasque mortalium pectoribus persisteret. Verum CD. ab inundatione terrarum annis innocenter transactis, orto sub Nino in Assyria Idolatriæ cultu, huc pedetentim quoque in septentrionem fuit propagatus. Unde nostrates etiam hodie quodvis appellant sculptile, Belete / quasi Beli similitudinem & effigiem, quam filius Ninus venerandam impiè demandans, aliis quoque gentibus sculptilium fabricandorum & venerandorum sub eadem in primis nomenclatura nefariam tribuit occasionem, majoribus deinceps superstitionibus cumulatam. Quippè Cananæi, Chami proles impiissima, fortitudine populi Israelitici de terra promissionis exacti, & orbem pervagati, hucque gentium tandem proseminati, abominanda populum vanitate imbueruht. Deinde Trojanarum pars non modica reliquiarum ad litus appulsa Scandianum, suorum quoque effecit particeps deliriorum. Et cum multo seculorum decursu boreales miserandam huic impietati operam impendissent, Romanorum denique excurrentium potentiae indigenæ minoris Asiae cedere compulsi, huc post varios regionum anfractus, Duce famosissimo illo mago Othino etiam concesserunt, incolas denuò non solum novis idolomania ritibus, sed etiam horrendis maleficiorum artibus contaminantes, velut operis pro cursu, hanc ternam orientalium populorum immigrationem fusius pertractando fiet manifestum; nunc intermissæ de Magogo calamum accingentes narrationi.

JAPHETUS proinde justissimi patris Nohemi primogenitus, testante Sacrâ Geneseos Historiâ cap. II. ultimo passim inter germanos loco recensetur, quod Semo prima dignitatis subsellia, ob salutiferam de illo linéam Christi promanantem, Chamo deinde altera, propter nominis gloriam & regnum potentiam, licet paterna cumulatus ter maledictione, & Japheto tandem minoris potentiae hæredi, promissionem nihilominus ob-

obtinenti, de habitatione in tabernaculis Semi, & fidei societate postima collocantur.

Hujus autem filius MAGOGUS, tertius satör & propagator gentis Scythicæ, suffragio Josephi, lib. i. cap. ii. aliorumque perplurium, originem quoque Gothorum Sueonumque populo, teste Jacobo Bergomenti, & Hermanno Schedels, sub exordio Magogas de suo compellatos nomine, præbebat. Quorum, velut etiam vastissimæ Scythiæ, in Asiaticam & Europæam divisæ moderator assignatus generalis, illic multo rerum potitus tempore, donec à Nimbroto Babyloniorum Rege vocatus, multiplici coloniarum frequentia succinætus, in Cœlosyriam alegaretur, ubi annum circiter CLXXV. à diluvio urbem condidit Magogib.

Interim verò filii, quos juxta Gothum habuit quinos, Steno, Getar, Ubbo, Thor & German, paternum sibi relictum borealitum regnum imperium suscipiunt gubernandum. Verum quod idem noster chronographus, asseveret Magogum anno LXXXVIII. post inundationem Geticas ingressum regiones, & prima throni exordia in Finlandia Sueonum Tanaïm versus regione posita usurpasse; & tandem indè finu Venedici maris transmissō, cum multo populorum agmine in Scandiam appulisse, & prima Reipublicæ arctoæ fundamenta jecisse, nequam relector; Præsertim cum audacter ad vetustissimos provocet patriæ Annales, quorum permagnam hinc copiam secum exportavit. Quamquam interim donec mihi similium potestas facta fuerit monimentorum, primam in Scandiam migrationem potius filio Gogo, seu Getero, arbitrè referendam acceptam, velut imposterum comprobaturus.

Neque mox Scandiæ amplissima regna Monarchis obtemperabant, sed in plurimos dissecta principatus, Toparchis, vulgo Nesciongar dictis, auscultabant, & deinde acceptâ gubernationis consuetudine à Judæorum florentissima Republica aliquandiu Judicum potestati obedivere. Sed tandem pro more gentium aliarum, paucioribus deputatis Regibus regni committunt axioma, quod multo seculorum ævo transacto, uni Enewols Kong appellato, porrexeré. Ex quibus liquet universis, à Magogo Scythes, Gothos & Sueones, imo & Danos, testimonio Hermanni Schedels, Mathiae Vestmonasteriensis, Petri Trecensis, M. Christierni Petri, Jonæ Koldingensis & Haraldi Huitfeldii, propagatos, nulloque jure, sed mera libidine maledicendi, Rosefontanum in nos & suos impudenter, Scytharum nomine debacchatum. Quandoquidem ex sententia gravissimorum virorum, Strabonis, Claudi Ptolomæi & Bodini, aliorumque veterum authorum, mortaliū justissimi perhibeantur. Unde Flaccus Horatius de ipsis encomion fert tale:

Dos est magna parentum

Virtus, ♂ peccare nefas, vel precium mori.

Nec minus hinc manifestè constat, Scytharum esse imperium vetustissimum, & primo dignitatis fastigio collocandum, utpote à quo etiam plerique hominum hac per orbem terrarum vigentes tempestate, summae, infimaque conditionis, velut de gremio populorum fœcundissimo semet fateri coguntur oriundos. Atque hæc de Magogo pauca, quo in Scythia Asiatica & Cœlosyria relicto, in Scandia cum filiis posterisque calami terminos imposterum defigemus.

SVENNO, juxta mentem Gothi, primogenitus Magogi, Sueorum potitus sceptro, nomen genti de suo perhibetur indidisse. Laurentius autem Nericius, à Swedia/ id est adurere, quod primi Sue-

ciæ coloni frequens densumque sylvarum exurendo nemus, regionem sementi & mortalium reddiderint idoneam habitationi, indeque Svedenland / quasi terram usulatam à Germanis appellatam. Alii, quorum mentionem injicit Ericus Upsalensis, nomen derivant Sueciæ, à Zwerif / binis regnis, eò quod regum Suecorum monarchia ex Gothorum Sueonumque imperio in unum conflato constare manifestum fit; Ideoque Suitensium urbem à Gothis hinc progressis fundatam, in memoriam soli paterni, Zwerif vulgo, Latine Turegum, idem significans, vocitatum: Velut quoque eadem de causa uni regnorum deinceps armis plagam ad orientalem subacto, Østerrijk / & alteri occasum versus posito, Sueviam, quasi Sueciam nominasse. Verùm hanc non acceptans Ericus opinionem, affirmat populum, Japheti progeniem, de Scythia huc translatum frequenti colonia, patriæ vocabulo primitivæ meritò hanc ditionem exornasse, quæ progressu temporis Suecia dici occœpit, gentibus ut mores sic nomina variantibus; Distinctionis tamen utrinque gratia, priorem ab ipsis Mesiam fuisse vocatam. Non nulli proprius memoratae accedentes sententiæ, non à Scytha Nohemi dictam nepote, quemadmodum Berosus Chaldæus contendit, sed à vulgari borealium populorum nomenclatura Schytæ, artis peritum sagittariæ denotante appellatam, à vicinæ regionis accola, quod arcubus & balistis ipsum ingeniose hujus oppugnarent indigenæ; Eodemque ditionis vocabulo, gentem utrinque Tanais in Asia Europeaque telorum jactu dexterè militantem, ab exteris olim nuncupatam. Atque illo quidem Asiaticam hactenus gavisam nomine, plerisque ethymon ignorantibus genuinum, falsumque proinde comminiscientibus, sed Europæam ab immigratione alienigenarum, & negotiatione accolentium vocis originem quoque ignorantium, in primis Svidiot / pro Schytiot / quod Scytharum signat possessionem, prout vetustissimum Norvegiæ chronicon asserit, testans quidquid regionum cis paludem Meotidis illa quondam vocula in veteri Gothorum idiomate nominatum. Deinde Suiam, ab ignorantibus lectionem Gothicæ contractionis, & tandem Sueviam, Sueciam, Sueoniam, & à Germanis Suediam vitiosè pronunciatam. Hinc Scythæ nostri Scandiani apud plerosque vocantur scriptores, Sistones, Suetidi, Suetans, Suevi, Suedi, Sueones, Sueci, Normanni, Hyperborei, Illeviones, aliisque portentosis, ut videre licet apud Claudium Ptolomæum, Cajum Plinium, & Jornandem Gothum, reliquosque Scandiæ mentionem facientes, nomenclaturis. Hæc autem legitimi vocabuli variatio multifaria, ignorantiae characteris Gothicæ & ejusdem abrogationi, in maximum cæterarum antiquitatum quoque nostrarum dispendium, expensa est referenda. Præsertim verò cum Scythia, & Suecia iisdem propemodum Gothicarum literarum fingantur lineamentis. Atqui à vetustioribus & vicinioribus, rerumque nostrarum gnaris, quorum agmine primarii, Eginhardus Caroli Magni Cancellarius, & M. Adamus Canonicus Ecclesiæ Bremensis, aliique de choro eodem, & veritatis foro, hanc boreæ plagam in suis passim opusculis vocant Scythiam, & mare quo alluitur undique propemodum appellant Scythicum.

Itaque Suecia non religionis duntaxat Christianæ primam, secundum Deum agnitionem, sed & hujus veritatis cognitionem, cum aliis vetustatum documentis, Ecclesiæ Bremensis Præfulibus refert granti pectore acceptam, illam de patriæ vocabulo notitiam, velut à synceritatis Magistra communicatam approbans, aliis recentiorum tanquam confictis abjuratis opinionibus, nec refutationem poscentibus,

quod

quod falsitatis subnixæ admodum fragili pédamine , suo ad casum inclinent pondere. Enimverò juxta primam , non Schytia vel Suecia , sed Suennonia foret dicenda , nulli scribentium hactenus ità compellata. Juxta secundam Suedelandia & Suedia , licet illo nullus veterum neque recentium scriptorum , hoc soli Germani , à nativo seducti idiomate , utuntur , immò nec ullus Sueticorum librorum contextus illas voces antea usurpaverit. Sicut neque nostratibus & Teutonibus ejusdem notionis vocabulum , ut hujusmodi nomen regioni ab uestione sylvarum , nulla in Sueonum lingua præbita occasione præsciverint assignandum ; Præcipue cum nequam ab illis , ut perperam in suo adstruit chronicò M. Olaus Petri , frater hujus Laurentii , sed Germani hinc vernaculæ linguæ traxerint incrementum , Bodino , Munstero , Paulo Fagio , & sermone ipso contestantibus , de quo fusius postmodum. Tertia demum adversæ partis assertio , magis profectò frivola , cum nuper à Germanorum quibusdam conficta , suum falso arbitrantium nostro sermone vetustiorem , ideoque vocum Sueticarum originem indè petendam , & Suecia vulgò Sverige/ non Zwetige/ plurimis ante unionem Gothiæ sub uno monarcha fuerit appellata. Non tamen inficiamus , Gothos nostrates , exterorum pótitos regnorum , in sempiternam natalis soli gloriam , vocabula indè translata ipsis , & urbibus ac fluviis imposuisse , nemine historiarum gnaro reluctantante. Erici verò Upsalensis opinio , nostræ patrocinatur veritati , simul etiam insinuans , Scythicæ vel Sueticæ antiquitatem locutionis , utpotè à primis secundum eluvionem mortalibus huc propagatæ. Quamquam ergò rationibus ità convicti , Scythiam propriè regionem nostram inscribendam , tamen contraria scriptorum omnium nostro ævo florentium consuetudine , & hodierno loquentium abusu compulsi , non Scythiæ sed Sueciæ nomenclaturâ libros & sermones nostros insignimus , nè ignorantium cavillationibus nos exponamus , interim primævum patriæ vocabulum , velut sacrum depositum , domi observantes & venerantes.

Hæc de nomine , nunc de ipso Sueonum regno paulisper auscultemus eunden M. Adamum , documenta ex prisca concionatorum apud Sueonas archivis , in Ecclesia Bremensium fideliter ab antiquissima hominum memoria asservatis petita , & in historiam redacta commemo- rante. Namque testimonio tantorum virorum olim suffultus , Suecam propter immensam vocat magnitudinem , alterum orbem , ad Riphæos usque alpes protensum , & vix bimestri continua profectione permeabilem ; Regionem fertilissimam , agrum frugibus & melle opimum , pecorum pastu nulli secundum , fluminum sylvarumque oportunitate conspicuum , peregrinis oppido refertum mercibus , ita ut nullis Sueones indigeant opibus , exceptâ , inquit , quam nos diligimus sive potius adoramus superbia. Omnia namque instrumenta vanæ gloriæ , hoc est , aurum , argentum , sonipedes regios , pelles castorum , & marturum , quæ nos admiratione sui dementes faciunt , illi pro nihilo ducunt. Hæc ille , quæ prò dolor , in modernos Sueciæ indigenas nequaquam competitunt , plus nimio opum & superbiæ studiosos. Heu dedecus veri Dei cultores , ab idolorum sequacibus , vel certè rudibus primitivæ Ecclesiæ alumnis superatos. Bellicæ tamen virtutis gloriam , velut pectoribus suis immortalem à majoribus acceptam , mordicus hodiè etiam conservant , de qua idem Adamus , perhibens Sueonum populos multos , viribus & armis egregios , tam in equis quam in navibus juxta optimos bellatores , indeque suâ potentia ceteras aquilonis gentes confringere videri ; Reges ha-

habere antiquos genere. Insuper alia non pauca gentis nostræ præclarissima encomia apud ipsum videre licet, in operis sui peroratione. Quam idcirco Dani quidam laudi Sueonum invidentes, malignè in suis exemplaribus suppresserunt, sinceritate tamen & candore Ottonis Dyringenensis & Erpoldi Lindenbruchii publico deinceps conspectui restitutam. Quamquam eadem propemodum nostratibus gloriæ lineamenta Danus Poëta, suo Rerum Danicarum Dramate, ipsis alias non satis benignus, appingat, pag. 301.

*Gens est Sueonum latissima magno
Imperio, cui sors vastos submittere fines
In boream, ac strictis subjectum aquilonibus orbem
Et proferre dedit.
Ex aliis tamen omnis habet proventibus, unde
Magnifice se extulerit, populosque mereri,
Et retinere potest, pecorum ditissima, ferro
Præcipuo, ♂ nivei superat bonitate metalli
Ac cupro, ♂ diti maculosa tergore lyncis,
Egregii mores hominum, atque affatibus ultrò
Humanis, largique manu ♂ virtute, fideque
Hospitibus summa, ♂ prompti communibus uti,
Mundities celebris, cultaque industria vita.
Hi populis ritus, hæc est natura.*

Sed jam ad Suennonem reversus, apud Johannem, quem in hoc sequor, aliud nihil historiæ & memoriæ dignum comperio, quam quod frater Gothorum fascibus potiretur quando Suecorum assidebat Suenno gubernaculis. De illo proindè rerum ordo poscit narrationem consequentem.

GETHAR sive GOGUS, ex sententia Johannis, regno in Scandia potitus, gentem de suo condidit illic vocabulo, ex qua nimium multiplicata, coloniæ in Vitaslet sub ævo Saruci expeditæ. Quæ chronographi nostri assertio, propter occurrentium dubietatum paulò fusiū enodanda ventilationem. Ac in primis quidem liquet ex memoratis, quæ paucis hic repetenda duxi, Magogum, ex mente Gothi, Japheto satum patre, suscepto moderamine Scytharum, aliquandiu cis Tanaim moras traxisse, & tandem indè per sinum Venedicum cum suis in Scandiam penetrasse familiis; Ubi quinque filiorum unus Getar vel potius Gogus, in ditionis portione sibi sorte attributa, populum regnumque clarissimum de suo fundaverit appellatum nomine. Cujus posteri throno Gothorum, quæ ante coloniarum in Sielandiam Danicam, quæ etiam post emigrationem sunt potiti, frequentissima cum Suecis, Danis ac Norvegis, illaque gravissima gerendo bella, donec in unam cum Sueonibus societatem & imperium redacti, auspicio & ductu unius monarchæ, non his solum, verùm omnibus propemodum mundi nationibus formidabiles evasere. Cui sententiae meum quoque accedit suffragium, præterquam quod Magogum, ob expeditionem illam à Nimboto in Cœlosyriam, ipsi commissam anno post orbem inundatum CXXXI, non Scandiam ingressum, aut subito arbitrer remeasse, quò etiam Gothus tandem eadem de causa videtur propendere. Ideoque populum Scandiæ cum reliquo jux-

juxta Meotidem relicto , ante migrationem de conditore Magogas appellatos. Deinceps autem utrosque Scythes , & hos insuper Geras vel Gothos aut Gogos ab ipso dictos existimo genarcha. Atque Gogum non Magogum huc primos traduxisse inhabitatores , testatur M. Christernus Petri Canonicus quondam Ecclesiae Lundensis , in chronicō Danorum rhythmico. *Vide Trecensem &c.*

Antiquissimum quoque Danicæ Historiæ fragmentum idem prope confirmat , nisi quod ipsum nominat God , de posteris Gog in Græcia remanentis ortum , & in hanc duxisse plagam cohortes populorum. Quem inde natum reor pro certo errorem , quod cum Gog & Magog pro eodem à multis veterum usurpentur , author hujus fragmenti , Gogo illic moram & Godo huc assignaverit expeditionem , ignarus Gogum neque eundem cum Magogo , neque fratrem ut quidam perhibent , sed filium , vel certè aliquem magna de stirpe nepotum. Hinc meritò utrique accepta fertur inhabitatio Scandiana , & populus de nomine utriusque apud Ezechielem compellatur , Arctous , velut Adamus Bremenis pag. 23. scitè interpretatus. His concordat Vitechindus priscus Saxonum Historicus , lib. i. & Andreas Rosendius libro Antiquitatum Lusitanicarum , lib. 3. contendentes Gothos de nomenclatura ductoris nuncupatos. Itaque Vestmonasteriensis præfatæ inscius vetustatis , nostros de similitudine syllabæ postremæ in vocabulo paterno cognominatos , perperam reliquit posteritati.

Turpius tamen hallucinatus Arngrimus Jonas in Chónico Islandorum , asseverans Gothos à gigantibus Cananæis ortos primitus , etiam nomen traxisse , indeque in primis Jettas , Jœtas , deinde Getas , & tandem Gothos esse compellatos , cum Jette , vulgo Scandiano denotet gigantem. Enimvero Gothi , duce Berico , mox secundum expulsionem Cananæorum de Palestina Josuæ auspicio hinc progressi , & vicinos aggressi manu viætrici populos , ipsis Cananæis in Illyrico & Pannonia morantibus , Gerica & Scythica cœperint inclarescere per mundum nomenclaturâ.

Unde nec gentis , nec nominis indè originem liquet propagatam ; præcipue cum has oras , velut latrones multo post tempore Cananæorum reliquæ gigantes accesserint , & per Gothorum in exteris absentiam dominio potiti , miram in subjectos populos exercuerint tyrannidem , donec indigenarum conspiratione unanihi partim deleti partim expulsi , in Jutiam , undè venerant , remearint. Hanc namque ex vicina ingressos Germania , largior Jettiam , Jœtiā & Jutiam de proprio vocabulo appellas , cum idem quoque Arngrimus , Danis ad blandiens , affirmet eosdem postea Kemper / nimirum pugiles & Atletas portentosæ molis , & tandem Cimbros , indè reflexa voce salutatos. Hinc etiam Jornandes asserit Danos ob nimiam proceritatem inter omnes boreæ nationes , nomen sibi præcipuum vendicare , ac majores illorum Gautigoth , hoc est gigantes , acre hominum genus , ad bella promptissimum , exesis rupibus quasi castellis ritu belluino inhabitans. Quamquam in hoc labi videatur Arngrimus , Cimbros de Kemper/ vociatos. Siquidem populus ille ex Trojanorum ortus reliquiis , ad paludem Meotidis considens , ante Cimbricæ Chersonesus ingressiōnem , appellatus fit Sicamber , & urbs illic fundata , Sicambria , indeque postmodum Cimbricus cœperit nuncupari. *vide Bodinum.*

Ex his proinde manifestissimum evadit , Danos non esse Getas vel Gothos , nec Jutiam Gothiam ; sicut neque Gogi regnum , Oster-

IO APOLOGIA HIST. SVEC. sive ANALECTOR. Lib. I.

gyllandiam , prout ipsam Dani , ad defraudandos Sueones gloria Gothorum inde progressorum , malignè inscribunt libris suis. Sed Ostergotiam , vel potius Ostergetiam , Gothorum nempè orientalium , & Westergetiam occidentalium patriam compellandum. Simili modo sequitur ex memoratis , Jutiam vel Jutos , non à Jutore Saxonum principe , velut falso quidam adnotarunt , verum à Jetis olim nomen sortitos hodiernum , nulloque Jure Gothorum sese titulo passim ostentare.

Denique & illud hinc colligere licet , contra Islandum , prisca Gothis lingua , qua postremi Dalecarlorum purâ hodiè soli & fortassis Islandi quoque utuntur , aliaeque remotiores ab exterorum conversatione nationes boreales , & nos in codicibus duntaxat vetustissimis fruimur , neque à Cananæorum , neque Trojanorum , vel Asiaticorum huc migratione natam , sed à Magogi posteris in has protinus illatas oras , hactenus protei more perseverasle , quemadmodum illa petris tunc inarata durissimis , hodiè verax de sua testimonium perhibet vetustate.

Et hujusmodi non tantum in Scandia passim , verum & Islandia , Grönlandia , Anglia , Hybernia , Scotia , quibus Gothorum sermo usque ad tempora Vilhelmi Nothi fuerat usitatus , reperiuntur passim antiquitatis documenta , ut illorum testantur chronographi. Imo & in Germania , cuius prisca vernacula de veteri Gothorum promanavit , idque liquet plurimorum insignium testimonio virorum , quos inter doctissimus ille Paulus Fagius , & ipse Germanus , pag. 56. afferens Gothorum nationes , quo-cunque arma intulerunt , eò & sermonem vel integrum ut in Germaniam , vel corruptum , ut in Italiam , Hispaniam & Galliam. Idem deinceps , sicut & Guilhelmus Postellus , pag. 59. à Gothis religiosis & fortissimis viris , ut verbis illorum utar , Teutones ingenuè fatentur oriundos. Idcirco nihil mirum pro consuetudine majorum , ipsos quoque sua insculpsisse saxis facinora , vel in numeros redacta sonoros , posteris , velut Goths , concinenda reliquisse , quod unum memoriae & historiæ genus Tacitus attribuit Germanis. De utroque autem Gothorum memorandi genere Vates Danorum , pag. 9.

- - - - - Cum se fecisse videri
 Fortiter optarint , populari maxima famæ
 Gesta inscribebant , totumque audacius orbem
 Complexi , neque se chartis , neque facta libellis
 Subjiciunt , fragili neque credunt magna papyro.
 Ne tamen ♂ prorsus longinqui temporis usu
 Obliterata ruant , solidis inscribere saxis
 Factorum monumenta parant , cautesque per amplas
 Sparsa , legi sero mandarunt gesta nepoti.
 Non hæc corticibus , sed canticis acta stupendis
 Calantes , nè quid claros oblivio sternat
 Heroum titulos , umbrisque immerserit enses.
 - - - - - Aliis consultius istud
 Est visum , rithmis si condita facta vigerent
 Humanas inter voces , dulcique lepore
 Aspersa , è grato recrearent pectora cantu.
 Plerumque id fieri , veterum ut mox laudibus ipsa

*Se tollant mentes, cumque hæc præclara parentum
Gesta vident, flammis ardescunt protinus, ♂ se
Extimulant, nè quid priscis stirps postera desit
Majorum studiis, aut sit minor.*

Proinde sincerus rerum æstimator, his, non lippiente obtutu passim terrarum consideratis, præfatam vetustatis linguae Gothicæ non invitum attribuet prærogativam. Idque longè promptiori animo, si paulisper eadem opera, antiquissimas literarum figuræ, iisdem colossis incisæ fuerit contemplatus, quas diligentissimus rerum indagator abstrusarum, Bonaventura Vulcanius alphabeto cunctorum absolutissimo comprehensas, & multo ante Ulphilæ Gothorum Episcopi tempora, cui perperam à non nullis illarum adscribitur excogitatio, perhibet fuisse deprehensas, illique clarissimus in suo Mitridate Gesnerus pag. 47. ultrò suffragatur. Itaque hujus commentator Caspar Vaseus, adversæ opinionis assertorem, nullis fermationum momentis subnixum Goropium Beçanum, sed ingenii sola invitatum arrogantia, meritò perstrinxit.

Et quamquam Goths nostri, juxta Crantzium, aliosque, fortiter agere quam doctè scribere didicissent, tamen æmulorum gloriae literis ad posteros, & libris imaginibusque transmissæ, multum indignati. Una namque res est, inquit Bodinus, pag. 45. quæ maximè Scythes impulit, ut literas omnes ac monumenta veterum à stirpe convellere conarentur, quod acerbe ferrent Graecorum ac Latinorum bibliothecas & parietes rerum à se gestarum magnitudine repleri. Reliquos omnes, tametsi res quoque magnas ac memorabiles gesſiſſent, turpiter omissos, vel etiam atroci verborum contumelia notatos. Hæc ille.

Verum hoc historiæ & doctrinæ dispendium adeò Scythæ seu Getæ posteà compensarunt, ut Dion Græcus omnibus barbaris sapientiores, & ipsis pares Græcis evasisse, doctissimosque facinorum suorum, illosque veracissimos nactos encomiastes, contestetur. Tantis autem ingenii bonis, heroica prorsus corporis respondebant lineamenta, cum Alphonsus Cartagine Burgensis Antistes, in sua Anacephaleosi Regum Hispanicorum, cap. 6. non Gothos tantum naturali quadam propensione magnanimos & audaces, ingenio faciles, & subtile, in proposito circumspectos, sed & constantes, gestu & habitu approbandos, viribus præpollentes, statu arduos, procerosque, duros vulneris & manu promptos, corpore validos, membris aptos, dispositioneque compositos, pro honore adipiscendo mortem contemptui habentes, & vulnera pro Reipublicæ defensione & propagazione viriliter percepta celebrantes, hincque illud poëtæ astruat provenisse:

Contennunt mortem laudato vulnere Getæ.

Idem similiter fatetur, ipsis aliarum expugnatione gentium occupatos, primarios in Scythia seu Suecia rerum suarum moderatores habuisse, à quorum imperio nutuque penderent agmina Gothorum in exteris Procursionibus, ipsis inconsultis nihil attentando, & rei accisæ copias inde auxiliares implorando.

Atqui satis hoc loco de Gothis, occasione ab ipso accepta Gogogenearchâ, & primo Gothorum conditore, rectoreque; de quo simulque avo Lætus, pag. 37.

*Interea sese Japhet dilatat, ♂ omnem
Explicat in Boream:*

*Acceptas Boreæ regiones occupat , acri
Contentus terra , geminas quæ spectat in arctos ,
Geteroque satos fixisse palatia Gothos.*

*Sparsaque hinc postea late
Imperium movisse , proculque ursisse Nepotes ,
Japheti sobolem , & genitoris semina justi.
Gottorum res prima fuit.*

His liquet Gogum diversis à posteritate compellatum nominibus , cum ut rerum temporumque sic & vocum quædam metamorphosis atque senectus , tandemque interitus . Etenim Gogus , Godus , Gothus , Getar & Geta invenitur apud chronographos vocatus , quæ vocabui multiplicatio , difformia opinandi scribendique veteribus præbuit occasionem . Neque alia de ipso figgerunt , quam quod posteri , virtutibus in primis poscentibus , & beneficiis in natale solum collatis jure efflagitantibus , mortuum diu summa prosecuti veneratione , & tandem notitia veri Numinis , à Gogo inculcata , de mentibus Getarum sensim abolita , more gentium reliquarum , illi divinos cœperint honores , quemadmodum Mathæus Westmonasteriensis & Diodorus , aliqui non pauci veterum confitentur , impertiri .

Documenta quoque Islandorum prisca admodum Deum gentilium borealium God nuncupatum confirmant , idemque est Gogus seu Geta . Hinc progressu seculorum quoslibet Deorum communi vocabulo Godar , & denique Gudar , hoc est Deos , indigitarunt , voce quoque eadem , cum nonnulla variatione ad Germanos , Anglos , Britannos & Scotos unaque toto Gothorum sermone propalato . Atque Deos filios bonorum rivulos statuentes , omne quod à mortalibus ut bonum expeteretur , memorati populi in sua , etiam hodiè lingua , Gott vel Gutt nominare consverunt .

Horum autem numinum agmine , testimonio Herodoti inscriptus fuit Blixen , Deus tonans seu fulgurans , ad quem loco amoenissimo commorantem , morituri sese abituros arbitrati , nec animarum passus dispendium . Quò etiam annuatim nuncium cum nave quinque remigum , à liberalitate Tonantis necessaria impetraturum ablegabant . Ac ut ipsi vicissim suam dimetirentur gratitudinem , cœlo tonante , rati cæterorum armis superorum impugnatum , sagittas & hastas in aëra certatim librando auxilium deferre nitebantur . Neque his contenti , inusitati ponderis malleos , ingenti ære complexos ad hunc in promptu habebant usum , ut per illos velut Claudiana tonitrua , cœli fragores , quos pari organo cieri crediderant , exprimerent , hac ratione theomachiæ præsentarentur auxiliares .

Quæ licet Herodotus Thracibus adscribat , tamen Getas ipsum intelligere , occupata ditione Thracum sic appellatos , textus immediate præcedens liquido manifestat . Quo etiam modo concipienda Herodoti de Zamolxe discipulo Pythagoræ instituta narratio , utpote quem magni nominis Historici Getam vel Scytham asseverant . Imò & ipsem et tandem Herodotus , antiquitate superatus , idem fatetur , insuper annuens multis annorum periodis tempora Pythagoræ præcessisse Zamolxem , hominem vel dæmonem Getarum . Verum ego hominem , & Deorum agmine nostratis olim cultum , neque in Thracia , sed ipsa Scythia seu Ge-

Getia conterraneis suis illo conclavi subterraneo triennium latitans, mentum inculcare voluisse immortalitatem existim, cum his quædam Getarum adstipulentur documenta, de quibus in chronicō Ecclesiastico fusior sum futurus.

Non tamen inficias eo, nostros in Thracia, & aliis morantesditionibus, gentium multa religione subactarum & vicinarum imbutos, pristinam in patria superstitionem cumulasse, prout ex illa Deorum Byzantinorum & Upsalensium in Sueonia perspicuum est communione, in nostris frequenter inculcata chronicis. Quod ipsum quoque ex Sa-criis, quæ Herodotus idem, in triticea stipata ligatis, in Delum ex Scythia hyperborea, virginum operâ frequenter perlatis, ingentique suscepitis veneratione constat.

Hæc fundamenta & incrementa idolatriæ Gothicæ, quæ nequam in sui primordio, ut Gothus astruit, Othinum, Thoronem & Friggam habuit Antistites, aliosque ipsorum suppares apud eundem recentitos, sed illos mendaciorum plurimo post ævo nacti architectos, quod propediem evidentissime comprobabo. Quorum etiam in Getia præcesserat apotheosis, veneratio Martis, apud Scythes nati & tumulati, juxta Herodotum, & velut regionis populique præsidium singulari illic priscis seculis observantia culti, unde Maro:

Gradivumque patrem Geticis qui presidet arvis.

Cujus postmodum divinitatis opinio, pari cum armis & victoriis Gothorum prosemnata incremento, multoque apud Græcos & Romanos cumulata deliramento. Et si nulla forent nobis alia vetustatis argumenta de Martis in Scythia incunabulis, ipsa evinceremus nomenclatura. Siquidem Mader & Mars in Gothorum prisca vernacula, heroem virium potentia & corporis mole illustrem designat manifestè, quas animi corporisque dotes, velut bellorum fortissimo numini, mundus illi gentilis assignabat. Qua proinde causa impulsus in sua Methodo Bodinus, Scythes seu Getas Martis non veretur alumnos vicissim compellare, & Adamus.

Tertium verò Magogi filium, & Suecorum post ultima Sueonnis fata gubernatorem, circiter annum à clade mortalium CCXLVI. statuit Johannes Ubonem; Atque ipsum de suo & aulæ seu Salæ fluminis alluentis nominibus, primò famosam Upsalensium ante tempora Abrahami fundasse civitatem. Illamque tantæ apud primos Sueonum Monarchas æstimationis & venerationis extitisse, ut de ipsa dignitatis suæ vocabulum mutuantes, Reges salutari voluerint Upsalenses.

Verum nemo reliquorum quos ego hæc tenus nostratum inspexi Historicorum, nomen vel annum insinuant memorati regis, quibus interim, donec mihi copia eorundem facta cum Johanne monimento rum, consentiens, neque Ubonem, neque Suenonem Regum catalogo duxi collocandos. Quandoquidem & hunc apud veterum neminem mihi contigit in hodiernum usque diem videre Scriptorum, licet non mediocrem utriusque indagationi adhibuerim diligentiam. Optandum proinde nobis esset, omnique laborandum industriâ, quò documentorum Suecicorum in Vaticana ab hæredibus Gothi depositorum bibliotheca, compotes redderemur aliquando. Interea priscis admodum Noricorum & Islandorum liquet ex annalibus, Upsaliam multo post hanc ætatem seculo, à Nearco Sueonum rege fabricatam, velut in historia sum ipsius evidenter comprobaturus. Imò etiam vetustum rithmorum nostrum chronicon, Ingoni & Nearco Upsaliæ tribuit fabricationem.

Neque verò nomenclatura parti suffragatur adversæ , cum illa veritati conformius , ab Up Salu , quasi Sueonum superiori emporio derivata , prout Uplandia , ubi situm , indè similiter denominata. Nam Salu veteribus harum ditionum indigenis , locum negotiationi deputatum notabat , progressu temporum Röpung / & junctim Salu-Röping/ quod moderni perperam Hale-Röping/ appellatum. Idemque neotericorum quidam Historiaster , quasi per nebula conspiciens , à numeratis solutisque illic militi stipendia , dictam censem Upsaliam.

Ac illud etiam profecto ab Ubonis aula ethimon , magis opinionem infirmat quam confirmat adversam. Siquidem sermo Romanus nec dum fabrefactus , vel Latio per Carmentam & Euandrum inventus fuerit , multò Scandiotis minus tempestate Abrahami ita cognitus , ut vocabulum civitatibus indè nouerint adaptare. Sed neque à profluente nomen sortita , verum potius fluvio vocem communicavit municipium , alias pagos , pari nomine gaudentes , & tamen longe à ripis Salæ dissitos inde cognominatos esset absurdè fatendum , cujusmodi Vaxala , Odensala , hoc est forum Othini , & Salugrufiva , à metallis de fodina erutis & illic precio distrahi solitis appellata.

Salæ autem fluminis accolæ , Gothis Saxoniam occupantibus permixti , fluvio regionem permeanti patriam pro more suo vocem imponnunt. Cujus proinde accolæ Crantzius libro tertio suæ Sueciæ Alanos fuisse arbitratur , primaque quondam literâ per errorem subtracta pro Salanis Alanos esse appellatos.

Atqui ego non Saxones , sed Sueones , Salæ nostro finitimos aut Alandiæ indigenas existimo potiori ratione , cum ex Scandia vetustissimi testentur Historici Alanos seu Salanos prodiisse. Sala verò Saxonum , plenissimo sese ostio exonerat in Albim Saxonæ pariter fluvium , quem Westrogothi de suo vocarunt similiter fluvio , Saxoniam potiti. Et quidem de nostro testimonium perhibet Bræmensis Chronographus pag. 140. De Sueonia verò , inquit , non tacent antiqui authores , Solinus & Orosius , qui plurimam partem Germaniæ Suevos dicunt tenere , nec non montana ejus usque ad Riphæos montes extendi. Ibi etiam est Albis fluvius , de quo Lucanus meminisse videtur , qui ortus in prædictis alpibus perque medios Gothorum populos currit in Oceanum , indeque Gothelba dicitur. Ita noster Adamus , cui subscrimit Danus Apollo : pag. 203.

*Albia depressis hic vallibus errat , ♂ imos
Alluit unda pedes , ripisque tumentibus exit.
Hæc Veneri celeres inter rapidissima fluctus
Labitur , ♂ summo præruptas gurgite fossas
Sic agit , ut magni cataractas fundere Nili
Posse putet. Tanto sonitu , tantoque fragore
Lapsa ruit ; non ut fluere , at subvolvitur alte
In præceps , ratibusque vias prohibere videres.*

Deinde Gothi vocabula in patria fluminum non contenti alienis , perpetuæ celebritatis ergò , torrentibus obtrusissè , nomen etiam soli natals , non minus celebri colonia translatum , debellatis populorum ditionibus imposuerunt , velut de Suevia constat manifestè. Quippe veterum plurimo testium omisso suffragio , Monsterus & Bodinus in endatione illius Lucani ,

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos , Albis.

Sve-

Suevorum nomen & ortum de Scandiæ Suevia ingenuè fatentur prosemnata. Velut etiam noster Ericus antea citatus quodammodo insinuavit. Et testimonium M. Adami paginâ superiori productum, videtur sub Germaniæ vocabulo Scandiæ Sueviam includere, Tacitum, Plinium, Solinum & Orosium sequendo, potissimumque magnæ portionem Germaniæ Suevos occupare, asseverando.

Quocirca cum magno liqueat scribentium consensu, Suevos de Scandinavia, ut ipsimet hodie quoque confitentur, oriundos, primævæ nomenclaturam patriæ retinendo, quam de nomine Suevi gubernatoris bellicosissimi sunt consecuti, velut inter alios confirmat Achilles Gassarus, eundem profectò Suevum rerum in Scandia potitum oportet, illicque genti nomen indidisse, in Germaniam postea transmarinam irrumptenti regnaque fundanti.

Ac dubio procul idem est Suevus, quem Johannes Suennonem, facileque veterum errore amanuensium & librariorum, sicut & posteriorum ignorantia, vetustatisque injuria, quævis aut consumentis aut immutantis, Suecorum documentis, quæ Gothus secutus, pro Suevus, Suevo & Suenno denique obrepere potuisse, indeque Scythas sensim Suevos appellatos, prout vetustissima Regum diplomata, & regni documenta contestantur. In his etenim Monarchæ, se Sueorum & Sueorum Reges, & ipsum appellant regnum Sueviam, atque Suiam.

Atque de hoc Gassarus, & vir multifariæ lectionis, D. Valerius Anselmus Rijd in catalogo annorum ab orbe condito, ad annum Christi MDXL. producto, autoritate antiquissimorum subnixus testium, Berosi, Diiodori, Taciti & Annii Viterbiensis, perhibet hujusmodi testimonium *fol. 5.* Ge- „
niti sunt Noæ post aquarum cladem, Beroso teste, liberi, Tuiscon gi- „
gas, qui cum Istri Mesæque filiis & fratribus ab Adula monte in Me- „
sambriam Ponticam, & à Tanai ad Rhenum, anno ab aquis CLVI. „
regno capto, anno Nini IV. Sarmatis atque Germanis & leges & lite- „
ras tradidit, ab iisdem post CL. regni sui annum in Deos relatus. „
Cui à stirpe successere apud Germanos reges, ab avo Noah in filios „
adoptati, viri feroce omnes, qui ad Sphæri imperium regnantes, sui „
nominis loca populosque reliquere: Mannus, Ingevon, Isthevon, Her- „
mion, Marsus, Gambrivius, Suevus, Vandalus, Teutanes, idem Mer- „
carius, Alemannus idem Hercules, & Hunnus. Hæc Valerius, quo- „
rum singula æquo ponderata momento, vetustatis nostræ caligini co- „
piosam sanè inferent lucernam.

Enimvero cum nostratis & Germanis communia prorsus olim elocutionis & scriptioñis elementa, immò & ipsa juris morumque rudimenta ac incrementa, veltū & magna hodie de parte certissimò constet extitisse, eundem, dubio procul, linguæ & legum agnoscere oportet Tuisconem conditorem, & forte gubernatorem quoque. Quippe magnæ authoritatis viri, Tuiscones seu Germanos, ex Scandinavia in illas trans Pontum oras primitus volunt progressos, ubi Tuisconem primò rectorem & informatorem cum Gogo, & eundem deinde ductorem & moderatorem ad Rheni profluentem, non absconum vetustati & veritati videtur. Siquidem ex superioribus pateat evidenter pagellis, post eluvionem reliquas mundi provincias de plagis borealibus primos acceptasse colonos. Deinde plerosque liberorum & posterorum Tuisconis, non obscura liqueat conjectura in Scandia quoque rerum potitos, vel certè præcipuo cultos honore.

Nam quod in primis Mannum attinet, secundum Tuisconum re-
geni,

gem, & velut pater in Deorum post fata relatum collegia, cum luna de illo nomen sortita, nostratis Manæ sicut & Germanis vocata, & mensium generale nomen, quorum incrementa & decrementa de lunari pendent facula, inde quoque petitum videatur, constetque veteres Scandiotas hujus lampadi dñinos impendisse cultus, Manni aliquam ipsos notitiam habuisse oportet. Cuique tamen evidentiora proferenti, meam subjicio sententiam.

Ingeuon vero tertius Tuisconum polemarcha, & Manni filius, Ingevibus, queis præfuit nomenclatura induxit. Atqui hos Plinius libro tertio, latissimos Germaniæ populos in Sicambros, Teutonas & Gauchos vel Gau-tos divisos perhibet; Illosque Bodinus quoque Cimbros & Venetos maris Baltici confirmat accolas non ex Gallia sed Scythia illuc translatos. Verum Istævones, de successore filio cognominatos, eosdem reor esse, quos idem Plinius Illeviones, & nostri Sueviones rectius appellant, quingentos Scandiæ pagos vel familias incolentes. Hermiones deinde à quinto Tuisconum, seu magnæ Germaniæ monarcha Hermione appellati, & gubernati, quem verius arbitror Germionem vel Germanum, & gentem inde Germanam dici occéptam. Ac quidem Hermiones esse populum in finibus Germaniæ morantem, asserit Pomponius Lætus; Sin autem iidem Germani, hinc prodiisse anteà comprobatum.

Marsus Germioni subrogatus in imperio parenti, Marsos Scythiæ indigenas juxta Herodotum lib. 4. viderur agnominasse & moderavisse. Ideo que hunc cum Marte licet eundem arbitrari. Atqui ut ut sit de memoratis Tuisconum Regibus, velut etiam Gambrivio septimo, à quo Tuiscones cœrœvisæ modum didicere primò coquendæ, & Teutone decimo, numinibus quoque sociato, certè reliquos eorundem supra enumeratos principes, Suecorum Reipublicæ existimo re verâ præfuisse: Quoniam de Suevo rege octavo ex præfatis manifestum.

Nec assertio de Vandalo filio, multas requirit apodixes, cum Vandalo illo procreatōs, vel nominatos & subjectos, testentur Berossus Cornelius Tacitus, Johannes Duglossius, Matthias Michouensis, Antonius Bonfinius, Jornandes & Albertus Crantzius. Ipsos demum ex Scandinavia in transmarinas & transalpinas irrupisse primum regiones, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam & Africam, confitentur non minoris existimationis Historici, Eutropius, Paulus Diaconus, Procopius, Martinus Polonus, Rodericus Sancius, Cromerus, Franciscus Irænicus & Bodinus. Ac insuper non inficiantur Rodericus & Martinus, Vandalis, Gothis & Hunnis eadem fuisse sermonis commercia. Cui Regum quoque Vandalicorum nomina suffragantur, cuiusmodi sunt; Gensericus, Hunericus, Gildericus, Sigericus, Fredebalodus, Gautamundus, aliaque permulta, de Scandiæ petita meditullio, non Belgio, ut insanit Goropius, neque Germania, ut Bodinus & Cromerus perperam reliquerunt; Quibus etiam hic ridiculam prorsus interpretationem affinxit. In hoc tamen encomio non defraudandus, quod Slavonum, Vendorum & Vandalorum legitimū adstruxerit discrimen, vero singulorum ethymo ac origine solerter indagatis.

Quod ipsum de Hunno pari licet facilitate demonstrare, utpote quem antiquissimus Berossus Hunnorum patrem, innumeros habens sententiæ adstipulatores, salutare non dubitat. Hos vero de Scandia hac propagatos ratione, audacter tradunt clarissimi nostrati scriptores, Ablabius, Jornandes, Crantzius & Johannes Magnus, quorum vestigiis exterorum plerique pressim inhærendum sibi putaverunt. Verum quod me-

memorati contendant, à magis, per Filimerum Gothorum ad paludem Meotida confidentium Regem ob maleficia in solitudinem pulsis Scythicam, Hunnos progenitos, illud pernego, & mecum Crantzus & Gothus quodammodo, sed Philosophi sinceriores, & patriæ vetustiores chronographi. Quippe adversarii contra communem recte philosophantium sententiam, ex Sagarum ita exulantium, & incuborum seu faunorum qui spiritus sunt, humanæ organa necessaria propagationi non habentes, Hunnos ajunt procreatōs. Idque nonnulli horum perspicaciores animadvertentes paradoxon, ex præfatis Alrunis, aut Sagis, & Scythicis venatoribus, tandem natos, nimiumque adauctos, ditiones trans Meotidem cervæ ductu investigatas, magna frequentia ingressos, Gothis inde suis Majoribus profligatis, sentire videntur.

Verum enimverò quandoquidem Chaldæus ille testis probatissimus, illorum ad Hunnum referat primordia, & candida patriæ vetustas, regionem Scandiæ, de qua progressi primitus, indigitet Medelpadiam, ubi plurimos habent etiam hodiè homonymos, ac quotidiano faciat mentionem colloquio, & jucunda concentuum harmonia, de Hunico quondam hinc erumpente foras exercitu, hanc lubens amplector veritatem. Cætera verò ab hostibus in contumeliam fortissimæ gentis sunt conficta, velut & illa de monstroso corporis habitu. Fateor tamen illos juxta Meotidem, communem gentium sedem excurrentium in orientem, aliquandiu moram traxisse, indeque Getarum invasisse, paludem permeando, mansiones, & demum in Pannonia sedem & pedem tranquillius fixisse: Donec imperante Valentiniano, hinc Duce famosissimo illo glorioſiſſimoque Attila, frequentissimi prorumpentes, Germaniæ, Galliæ & Italiæ horrendas intulerint calamitates. Sed precibus flexi denique Leonis Romani Antifititis, in Pannoniam regrediuntur. Quos illic Carolus Magnus deinceps bello adortus, flore nobilitatis omni spoliavit, tantosquè divitiarum cumulos de regio Hunnorū æratio domum tunc Franci retulerunt, ut cum antea, teste Abbe Vrspengensi, pauperrimi fuerint, hinc locupletissimi evaserint.

Horum nihilominus soboles, nomine parum immutato, ibidem Ungari hac perfistunt tempestate, plurima de Turcis Christianorum hostibus conjuratis, belli victoriâ clarissimi, adhuc forti librando dextera martis acinacem, quem Romani in Scythia inventum solo, terrâ obrutum, Hunnorū Reges magna circumtulisse veneratione & victoriarum incremento, attestantur. Atque ita hostes acerrimi, admiranda nostratum fortitudine & belligandi gloria impulsi, ipsos Martis nutritios alumnos statuunt, tumulum & gladium illis quoque mavortium honorificè contribuendo.

Denique & Hercules ille Alemannicus, quem Valerius Ryd XL Tuisconum posuit regem, noster est, utpote nostris Hær Kul, quasi apex caput & Dux exercitus appellatus, & quem fidelissimus Hispanorum Historicus Rodericus Gothorum tenuisse scepta, quando Gedeon Judicis in republica Hebræorum fungebatur auctoritate. Ast quo mundi labentis tempore, Suevi, Roxalani, Vandali, Hunnique de Scandia transiverunt, neminem adhuc quem ego consului, Historicum adnotasse comperi. Priorem tamen omnium fuisse Vandalorum excursionem est manifestum. Ut neque Alanorum tempus excurrentium in chronicis designatur, quos Procopius de Vandalico, & Josephus libro septimo, de Judaico bello genus esse Getarum & Scythurum, ex Alandia forte prorumpentium, confitentur. Ex hac quoque insula, gentium fœcun-

dissima vagina, bellicosissimi Gothi, Gepidæ, Amazones, Longobardi & Normanni, velut proculsum voluminis declarandum, progrediebantur.

Atqui modò post longiorem orationis digressionem reversus ad Gothi Ubbonem, quos illi deputat fratres, Thoronem & Germanum, vix germanos & genuinos arbitror, cum illum post longam inde chiliadem, in rerum fuisse natura deinceps monstraturus; & hunc, alibi in nostris non legerim uspiam monumentis. Cujus quidem Vestmonasteriensis in suo meminit chronicò, sed alios multo assignat illi natales, eundemque proinde cum Hermione forsitan, ego supra quodammodo insinuavi, vel Teutane &c.

Eadem similiter mea de Siggone opinio, quem Gothus contribulem Ubbonis & successorem in throno Suecorum statuens, LXV. annis illo sublimem resedisse, quandò supremum quoque regiminis apud Assyrios tenebat fastigium Ninus, ac interim præter alia in Rempublicam Sueonum beneficia non pauca, famosum illud Sigtunensium quondam emporium, secus ripam in Uplandia Melerinam, primò collocasse; & tandem plenum dierum, heroicisque clarum facinoribus annum prope à diluvio CDXII. vitam cum morte asseverat commutasse. Nam cætera ipsi probanda relinquens, quorum alias nusquam vidi aslertores, fragmenta Norica & Islandica de hac re certissima, Sigtunensem Othino, prout alias dicturus, attribuunt fundationem, in area Sigtur non Siggetun priscis vocata mortalibus.

Interea verò temporis dum Siggo Sueonibus dominatur, testatur idem Johannes, Gothorum fulsisse diadematè, ERICUM hoc nomine Primum, illoque potitum anno secundum aquas ultrices CCCLVII. & æquissime faustissimeque usum ad CDXXV. quando fatorum tyrannide, non præter singularia Gothorum suspiria illo spoliatus. Ipsum autem nepotem Magogi ex Gogo, vel certè abnepotem extitisse, ac inter vivos agente Saruco, Abrahami Patriarchæ proavo, de numero Gothorum frequentissimo, sceleratioribus quibusque coloniarum ad insulas imperasse occiduas traductionem, ibique prolixa temporum intercapdine Judicibus à Gothorum Regibus deputatis promptè auscultantes, Gothiæ annua solvisse tributa. Atque licet vetustissimum in sui defensionem producat illic carmen, tamen passim apud plerosque Danorum fugillatur, non quòd sobolem ipso statuat Gothorum, quam sibi merito gloriofissimam reputant originem; Verum quod illam quisquiliis populi Gothic referat acceptam. Præcipue vero minas hoc nomine Spirat Lætus, gravibus vicissim Johannem, immò & totam Gothorum nationem prorsus insontem onerando impudenter calumniis, de sentina illas mutuatus putidissima Rosefontani: quas alio retortas pro dignitate libello, hic surda pertransimus auricula, quaslibet utrinque nationis improbando suggillationes.

Veruntamen in reliquis Dani nostræ subscribunt historiæ, cum M. Christiernus Petri, quem cæteri Danorum turmatim hac via sequuntur, suorum lubens maiores agnoscat Gothos, de Magogo oriundos, Danis inde laudum immensos per fas & nefas attexendo catalogos, quos deinceps ventilaturus. Ac Daniam quidem de Gothia Scandinaviæ admisissè colonos memoratos, anno conditi orbis MDCCXLIX. fatetur, ea vocatam tempestate Viteslet, & novos indigenas inde Vitas cognominatos, Selandiam, Lalandiam, Falstriam & Mæoniam passim sub Judicum obedientia inhabitantes, & Gedeone Judæos moderante, Regem in-

in primis consecutos. Quibus & Huitfeldius novissimus Danorum, & forte accurior reliquis omnino ad stipulatur chronographus. Immò tandem ipsemet Lætus vietam antiquitati tradens dexteram, conformiter quodammodo concinit, pag. 37.

*Quo verò hoc primum venissent tempore, quanquam
Id minimè expressum; Post Gottos arbitror esse
Huc tamen advectos. Quorum cum sedibus uti
Fortassis vellent communibus, esse repulsa
Interea passos; Quod Gottis Gottia solis
Nil exculta, satis poterat vix esse videri.
Quæ populo præstare domos, agrosque cibosque
Posset, & innumeræ justa huic dare pabula genti &c.
Exemplò mutare Daos animumque viamque,
Et petere ex alio, quæ vivant tutius orbe.
Forsitan & monstrasse locos, ubi plurima vasto
Incola sparsa mari, vicinaque littora cernit.
Non parenti fortasse minatos
Esse Dao, qui si non finibus exeat, armis
Sese expulsuros: Tenuem cessisse minaci
Arbitrio gentem, & medias venisse per undas,
Ac nostrum tenuisse sinum.*

Quippe Gothorum invidens tantam in suos prærogativam, nescio quos occidentis paludicolas fingit & obtrudit suis Majores, indè Gothiam ingressos, ac mox de Scandia in Oceani propulsos insulas occidentalis. Quem suorum passim calamo refutatum, responsione non dignamur, ad ipsius nos convertentes popularem Jonam Coldingensem, ingenuè fatentem de quodam vetustissimo codice manuscripto quibusdam productis versibus, Danos non Gothos duntaxat origine, verum & Scythas existere, quales sunt penultimi, pag. 34.

*Traditio veterum simul & Scythes vocat illos:
Nomine sic terno gens Danica magnificatur.*

Quem profectò Rosefontanus, si adstaret, in capillos involans probe depexum daret. Neque parceret Canonico Lundensi M. Christi Petri, illo sibi opusculo maximè adversanti, quo MDXXVII. salutis humanæ anno, XII. complexus, ut ille vocat, Excellentias, Danis omnium nationum borealium arrogat eminentiam. Et non contentus Danos suos, ex nostratium permissione Gothorum esse progeniem, etiam quidquid gloriæ & encomii Gothis, aliisque bellicosissimis ex Scandia prodeuntibus quondam turmatim populis, ob celeberrimas de nationibus transmarinis & transalpinis victorias, jure assignatur, Danis interim otio domi ferè torpentibus ad cumulare non erubescit. Ideoque quod Poëtarum Maro princeps, sibi quondam præmio eruditionis defraudato occinit indignabundus, idem pauca mutando Gothis sinceri facinorum arbitri: *Sic vos non vobis parta trophea Gothi!*

Verum de hoc Sueonibus promeritæ laudis irrogato fraudulenter dispendio, alias copiosius, ad Ericum denuò remeans, quem vestigia Sueonum Historici, ea propter primum nostratum compellant regem, quod primus fortè regio titulo & diadema insignitus, prædecessoribus Judicis vel Gubernatoris auctoritate & nomenclatura contentis. Sed quod huic filium Gedericum, nepotem Philimerum, & pronepotem Nordianum, ac in throno successores Suecico, illorum quidam assignent, turpiter hallucinantur, cum testimonio Scriptorum confitet externorum gravissimo, ipsos neque Erici Primi, neque Secundi, quem alii perperam Bericonem, neque Erici cognomento sapientis, ut quidam etiam somniant vigilantes, esse propaginem, vel Gothorum in patria, sed peregrina vagantium mundi regione moderatores, præter Nordianum, sive Nearcum, non hoc mundi currentis ævo, sed longa post annorum intercapidine, prout illic declaraturus, Gothis dominantem.

Idem quoque meum & Laurentii Upsalensis, aliorumque vetustatis gnarorum est judicium de Vilchino, & utroque Hernito, quod de Geterico & Philimero. Ac proinde quæ in nostra de ipsis memorantur historia, ex chronico Theodorici Veronensis, & quorundam aliorum sunt veteres mutuati fragmentis, illis cum præfatis Regibus restituenda. Neque tamen diffitemur Theodicum, Gaudericum & Philimerum ex Scandia oriundos, sed num ipsimet vel Abavi copiis stipati hinc profecti, ignoramus, & dictis procreatos regibus denegamus, admirantes Gothum, alias satis memorem & lynceum, quod Getericum & Philimerum utriusque Gothorum Reipublicæ præstituat moderandæ, de quo, velut etiam Hernito & Vilchino infrà pluribus agendum.

Fatorum verò necessitate sublato Erico, & in Gothia tumulato, asseverat Gothus annis quadringentis regna Suecorum & Gothorum multifariis cumulata detrimentis, idolatriæ contaminata fœditate, & discordiis ita mutuis jactata, ut Sueones divortio facto, sub judicium potestate sibi magis consultum vivere arbitrati. At Gothis interim octo dominatos his nominibus Reges: Uddo, Alo, Othen, Carolus, Biorno, Getar, Gert & Siggo; tandemque ab Erico Primo DCLX. annis elapsis, Ericum Secundum seu Bericonem, divaricatam & laceratam acceptasse utramque Reipublicam, & pristinæ unioni & dignitati restituisse.

Quamobrem etsi largiar Johanni, nostratum antiquitate compulsus, plurimam annorum seriem utrumque inter Ericum fluxisse, & interea non paucos rerum summâ Duces potitos. Tamen hac nomenclatione & ordine nullibi chronicorum comperi hactenus recensitos, nihilominus clarissimi viri fidem in dubium nequaquam vocando, sed consensum, donec compos similium fuero documentorum, duntaxat suspendendo, & septem illorum omni facinorum deprædicatione ab integrata defraudatis posteritate, in cautelam Regum modernorum, illud Daniči Poëtæ interim ingeminando pag. 8.

*Hæc est Majorum, generisque incuria nostri,
Atque hominum crudele nefas, Regumque priorum
Segnities, qui cum studeant amplissima factis
Nomina, & eternam gladiis inducere laudem,
Dum bello lassant populos, lateque petitas*

Nunc

*Nunc has, nunc illas revocant ad fœdera gentes,
Et sibi commissi tendunt pomœria regni;
Non etiam Musas, sacrosvè Heliconis alumnos,
Doctrinasvè colant.*

Nam Othen¹, sive Othinus, tertio gradu repositus, non hoc tempore, nec ordine collocandus, ut potè quem prolixum maximè annorum intervallum, suffragio vetustissimorum Historiographorum, hoc agmine prorsus excludit, sequenti libro permettiendum. Permovit autem Johannem ad porrígenda Othino hac tempestate sceptrum Gothorum, quod probè cognoverit hoc mundi curriculo Scandiæ horrendam idolomaniæ caliginem obtrusam, & alium præter Othinum illius non agnoverit propagatorem, ignarus circiter annum XXIV. ante natum mundo salutis & splendoris æterni authorem Christum, Othinum plagæ borealis horizonti suas orsum inducere præstigiarum & mendaciorum nebulas, inferius discutiendas & ventilandas. Etenim contendentium, quantumvis mira & generosa Ethnicorum facinora, nefas esse recensere, non subscribo sententiæ, motus exemplo prudentissimorum virorum, quælibet literis mandanda hujusmodi acta suadentium, ut inde Christi vexilla sequentes ansam Deo gratias agendi frequentius, pro vocationis immenso captent beneficio, virtuteque gentilium superati, meritò rubore confundantur; Quorum proinde facinoribus, memoria & gloria dignissimis sempiterna, me porrò nunc accingo.

BERICUS itaque, quem Crantzus aliique rectius Ericum nominant, unanimi tandem Sueonum Gothorumque suffragio, utriusque, juxta Gothum, Reipublicæ, annum circiter à diluvio DCCCXXXVI. præficitur restaurandæ. Illoque cum XXXIX. annis eodem teste, maximo regnorum incremento & indigenarum emolumento functus esset munere, & annus laberetur mundi M. M. D. XXXII. ab eluvione DCCCLXXV. restarentque ad Christi mortalibus salutifera incunabula MCDXXX. Othonie suprema Judicium apud Hebræos subsellia occupante, de gentibus transmarinis vindictam illatæ frequenter clavis sumpturus, numerosissima classe navium, & milite copioso instructissima solvens ex Scandia, in primis Gotlandiam, tunc Gothiscanzam vulgo nominatam appellat.

Hinc autem tribus expeditis myoparonibus, hostici explorat conditionem, quarum una lentiori remeans velificatione, Gepidarum suis indidit nomen classiariis, à sociis tarditatem detestantibus contemptim pronunciatum, cum Gepa nostris mente corporeque minus agilem designet homuncionem. Sed illo Gepidæ offensi cognomine, à Gothis deinceps secedentes, ipsis & multis potentissimis inferendo bella gentibus, illam vitis labeculam, cumulatim deterserunt. Verum Goths Ulmerugis, Megapolensis, Pomeranis, & reliquis magnæ Vandaliæ nationibus sibi infectis, pedetentim subactis, soli ubertate & amoenitate plurimum delectati, illic sub imperio septem sibi per vices succendentium Regum commorantur, non otiis torpendo, sed regni limites indies proferendo.

Atque ut summa sequar fastigia rerum, paucis non contentum, ad Ablabium, Jornandem, Dionem, Procopium, Crantzium & Johannem Magnum aliasque sexentos remittendo Lectorem, quod Gothorum in patria dictione complecti succincta decreverimus solum Historiam, Goths de Ulmerugia in Cimeriam commigrantes, indè ad Bosphorum & ma-

re Ponticum aliquandiu consederunt. Hinc verò profecti, Thraciam atque Mesiam non paucō tempore incoluerunt, ad quam reversi de excursione ripam Danubii versus instituta, tandem Italiam, Galliam & Hispaniam ingrediuntur, ubi regnis constitutis res peregrē gloriofissimas; Et annis trecentis in hac rerum potiti, tandem anno virginēi partus DCCXVI Saracenis illam subjugantibus propemodum extirpati, postquam à prima de Scandia egressione, Crantzio teste, paulo plus vel minus duobus annorum millibus, orbi passim universo fuisse gloriosissime dominati, & omnibus propè mundi primatibus nobilissimos sanguinis rivos impertiti, quibus etiam hodie passim gloriantur. Proinde merito fatetur idem Albertus, Romanos, non tam in barbarorum, dum Gothorum recensent facinora, quam in suorum laude profusos existere scriptores.

Gothorum verò generosam sobolem Amazonas fuisse, fidei liquet testimonio Dionis, Ablabii & Jornandis, quæ conjugum suorum necem fraudulentam vindicaturæ, sumptis armis hostes acerrimè invadunt, prosternunt & trucidant. Deinde tanta magnanimitate utramque invadunt Asiam, ut victricia usque Caucasum protenderint montem vexilla, & Armeniam, Galatiam, Syriam, Ciliciam & Persidem suo addiderint imperio, illicque diu confidentes, magnificas urbes & arces munitissimas splendide fundatas & consummatas, suo nomini consecrarent. Denique multis Græcorum iuriis lacescitæ, flagitantibus contra ipsos auxilium Trojanis, promptè detulerunt, adeoque furiose hostem invadunt, ut vim vi repulsurus, totam belli molem in ipsas convertens reprimendas, quotquot subsidio venerant, tradiderit fermè internectioni. Harum tamen non medios domi manentes reliquiæ, ad Magni Alexandri perseverarunt tempora, quando ipsarum potissima Calestris, trecentis mulierum millibus comitata, de ipso prolem susceptura splendide accessit, votique compos remeavit, sensim deinceps cum toto Amazonum imperio vergens ad occasum. Harum denique meminit fidelissimus nostræ gentis Historicus M. Adamus Bremensis, afferens Sueones illis finitos ex una, & alia Vilsos, Mirros, Camos, Scutos parte, in Russiam usque nactos habitationes. Immò sequenti pagina fœminarum seu Amazonum terram statuit contiguam Esthoniæ, inque maris baltici sitam littore, & matrimonium velut servitutem aspernatas Amazones, de complexu negotiatorum prætereuntium, vel captivorum congressu prolem capeffere. Unde non difficulter licet colligere, quasdam Gothicarum mulierum parentibus vel maritis in oriente spoliatas, huc patriam versus remeasse; aut certè à Gothis ex Vandalia in Cimmeriam moventibus, illic tanquam multitudinem imbellem relictas. Quæ tamen suorum auxilio destitutæ, cum vicinis limites infestantibus posteà congres-
fa-

Quocirca cum in conspectu propemodum Scandiæ, hæc præclarissima Gothorum, Amazonum, Vandalorum, Gepidarum, Alanorum & Hunnorum sint exhibita facinoræ toti notissima mundo, non satis profectò cæcitatem Saxonis, Scandiotarum & Danorum accolaramque scribentis ex professo Historiam, & tantam borealium nationum in orbis propatulo celebritatem neque videntis, neque audientis possum admirari, utpotè qui suo nè verbo quidem injicit operi mentionem horum percelebrium populorum. Neque ignorantiae hoc, cum ut tempore vicinior illorum ævo, ita gestis hujusmodi fuerit dubio procul

familiarior ; sed invidentiæ in Scandiæ fortissimos colonos , de quorum gremio illi prodiere mundi victores , expensum refero. Longobardorum verò , quod ex Scania Daniæ portione falso putaret egressos honorifice meminit , nequaquam autem Normannorum , licet recenti adhuc memoria illorum de Norvegia , non Daniæ subjecta hæreret ipsi progressio. Quorum , velut & reliquorum , posteà Crantzius alienigena , egregiè compensavit dispendium.

Hinc proinde manifestum , qua fide Saxo , regnorum borealium compegerit Historiam ; velut quoque moderni gentis Danicæ scriptores , qui livoris ardore pari succensi , Cimbrorum , Longobardorum & Normannorum quidem , quod Norvegia , Scania & Cimbria Daniæ subjugatis velint effusos , rati quidpiam gloriæ sibi inde accessurum ; Atqui aliorum de Suecia Gothiaque olim prorumpentium memoriam perenni mandarunt oblivioni. Aut certè si quispiam Danicæ nationis , velut per nebularum nostros intueatur , mirum quam eorum obscurare nitatur gloriæ radios . vel ex alio sole & solo exortos , conetur probare , prout ex Læto potissimum liquet , Gothorum fortissima agmina ex oriente in oras progressa occidua , contra innumeram propè antiquorum scriptorum ex adverso cohortem inclamante. Neque hoc inscitia quadam factum , verum de malevolo prorsus animo profectum ; Siquidem operis progressu , de Scandia nostratium in Rugiam tandem ex Jornande fateatur progressionem.

Verum de Scandia præfatas in reliquum olim prodiisse orbem nationes , cum illud plurima illaque invictissima nitatur totius vetustatis auctoritate , & nemo , vel mediocriter historiarum gnarus , & æquitatis amans , inficiatur , Erasmo huic & similibus invidentiæ magistris inculcare amplius omnino supervacaneum. Ut neque annus Gothicæ appositus egressioni , confirmatione indiget , cuius assertorem Crantzius infallibilem se habere profitetur , tantamque Gothorum in Asia requirant facinora antiquitatem.

Illud tamen veritatis hūjus cupido observandum , non ea propter Mæoticas paludes , vel alias orientis regiones primævam Gothorum patriam aut indè primitus progressos censendum , quod varias ipsorum stilo complectentes Historici mansiones , tot patios lares quot habitationes illis attribuant , ipsa transgressi incunabula , quæ Ablabio , Jornande , aliisque velut digito intento monstrantibus tandem in Scandia , quemadmodum etiam Gepidarum , Amazonum , Alanorum , Vandalarum , Hunnorum , Longobardorum & Normannorum sunt investigata. Sed Vandalarum primas sibi vendicat omnium excursio , utpotè quos phalanges Gothorum deinceps sedibus obtentis expulere.

Quam verò nostratium eruptionem moderni Sueones appellant vulgo Klubbhären / clavis armatum exercitum latinè , nondum licuit investigare. Reor tamen Longobardos , non de Scania duntaxat sed & Gothia profectos , indigitare , à prolixis clavis seu bipennibus longis nostratibus harder vocatis , non ut quidam vocum Gothicarum ignari , à prolixitate barbarum , olim nuncupatos.

Ad hujusmodi denique Scandiotæ procursiones moti plerumque populi subinde nimiâ frequentiâ , aliquandò gentium transmarinarum insultatione , nonnunquam gloriæ æmulatione , vel declarandæ fortitudinis intentione , non raro inopia rei frumentariæ , haud ex soli sterilitate , verum bellorum assiduitate , agriculturam negligente , nata. Et auditâ reliquarum ditionum ubertate , atque commilitonum suorum

veterum trans pelagus prospero successu , rerumque incremento , hinc certatim & catervatim quā data porta ruunt , ut illo Maronis utar , & terras turbine perflant.

Dulcedine tamen soli natalis non pauci horum revocati , pretiosas in primis secum manubias reportarunt ; Quas etiam inter magni fuisse momenti codices Romanis sublatos bibliothecis , narrat prīsum Lubecensium chronicon , quos Marinus de Fegreno Legatus à sede Pontificia ad regna septentrionalia , rerum Christierno illic primo potuisse , vigilantissime conquisitos in Gothia Sueciaque Romam postliminiō destinavit.

Nec minūs quoque una domum reportarunt variarum cognitio- nēm disciplinarum liberalium & mæchanicarum ; undē Scandianis illa singularis astronomiae peritia , & naturalis quædam ad concinnanda vitæ humanæ opera quælibet fovendæ & sustentandæ necessaria inclinatio , quæ Duce plerique hic agricolarum sine magistri præscripto , velut experientia docet quotidiana , & Boterus in Amphitheatridio mundi non sine admiratione fatetur , talia solerter quotidiè elaborant. Ideoque reme- antium hoc in patriam beneficium eximium , ut multa prædicatione dignissimum , ita quod exotico luxu patriæ frugalitatem , modestiam & simplicitatem simul in vecto contaminarint , sicut & multifaria populo- rum superstitione Gothicæ lararia defœdarint , vituperio vicissim cu- mulandum.

Verum enimverò si quos Gothorum peregrè mortis violentia su- stulit , domi epitaphio grandibus faxis inarato illorum nomen propinqui magnifice consecrarunt posteritati ; Quæ busta passim alienigenæ & indigenæ apud Sueones Gothsque hodie contemplantur honoraria. Rationem verò & tempus dividendæ ab illis in patria relictæ substanciæ , tenor legum Westrogothicarum antiquissimus præscribit hæreditibus , ut nemo prorsus , nisi malevolus , de his Gothorum incunabulis imposterum ambigendi habeat occasionem. Ac hujusmodi forte vel sponte cum instituendæ forent copiarum militarium expeditiones , genitorum polygamus quilibet , omnes præter natu majorem vel minorē bonorum hæredem & familiæ propagatorem , filios , militiæ tirocinio mancipavit. Tunc verò præcipue fortis jactu designantur egressuri , quando vel iniquo anni tempore , vel arduo nimium & periculoso ignotoque itinere militaris erat capessenda eruptio. Quanquam id rarò , & populo sub exordiis aleæ martis nec dum assueto usitatum , cum alias pectoris generositate animosus , nullis temporum vel regionum aut viarum discriminibus ab heroicis se avocari vel retardari facinoribus , ipso testante mundo , pateretur. *Latus pag. 58.*

*Istius pro more & consuetudine Secli ,
Gloria quo bellis stabat , nihilique putabant
Esse virum , qui lecta domi velut ocia ducens ,
Horruit externas in prælia sciscere gentes.*

Hactenus itaque primæ in Scandiam immigrationis colonos , Gogo Duce , & octo vicissim emigrationis agmina numerosissima in transmarinas hinc erumpentia regiones , nimirum Vitorum seu Danorum , Vandalarum , Gothorum , Gepidarum , Amazonum , Hunnorum , Suevorum & Alanorum , fideli quantum instituti nostri ratio patieba- tur , sumus dictione prosecuti. Nam illo temporum prolixo intervallo , quod

quod Ericum primum & Humelum Dani progenitorem sua disjunxit intercedine, memoratas gentis nostræ institutas successive de Scandia progressiones ipsa rerum gestarum triumpho hac complens temp. state universum orbem, veraciter confitetur, veterum propè omnium innixa testimonio.

Ideoque nostri chronographi, in sequenti operum suorum contextu, non hinc eâ progressam ætate, sed petitas obtinuisse commilitonum subinde cohortes auxiliares. Interim verò hujus potentiam aliorumque vagantium populorum armis, Cananæorum, Trojanorum & Asiarum profuga soboles de regnis profligata obtentis, multo jam spoliatam inhabitatore Scandiam cœpit pedetentim occupare. Ac in primis quædam Cananæorum huc immanis prosemnata est colluvies, indigenas diuturna & gravissima divexans opprimensque tyrannide. Nam, ut altius paululum rem ordiar, sanctissimus ille legislator Moses, anno re-promissionis, juxta sententiam Abbatis Vrsbergensis, aliorumque veterum, CDXXX. ex mandato divino populum servituti Egyptiacæ subductum, in eremo foris XL. annis religione in Deum sincera imbuebat; Et tandem ipsi vita functo Josua subrogatus, hos Dei colonos in terram cœlitus promissam ingenti potentiam deduxit, indè Cananæis portentosa hominibus staturâ, & virium formidantis robore profligatis, idque secundum nuperorum calculos authorum anno mundi fabricati M. M. D.

Hi proinde veteres Palestinæ coloni, primas in Ægyptum, & secundas in Africam, teste Vandalica Procopii Historia lib. 4. deduxere colonias, in hac omnem ad Herculis usque columnas incolentes ditionem. In quam quoque citans Genebrardus Hebræorum chronicæ, sententiam, asserit libro primo chronologiæ, Cananæorum reliquias in Germaniam, Slavoniam, vicinasque migrasse provincias. Ac sine dubio in Scandiam simul nostram tum temporis grandi numero effusas, gigantum primam illuc jactasse sementem; Siquidem illa septentrionis vastissima plaga, gigantum stupenda passim monstrat hodiè quoque facinora, habitacula, corporis lineamenta, ossa nimirum ingentia. Nec minori sub stupore adventantibus ostentet ipsorum romphæas, scuta, tela & sepulchra, vetustatis & magnitudinis omnino monstrosæ admirandæque, antiquissimis manifestata characteribus, quos illis & præcelsis proximè saxis ad semperitnam veritatis memoriam Majores incidere.

Qui vero nec dum hujusmodi de Boreæ gigantibus animo suo persuadere poterit admiranda, illuc paulisper secedat, majora visurus, quam ego valeam, aut disertissimus quisque oratione completi, & pedibus manibusque, non animo solum, in meam iturus sententiam. Vel certè, si tantum peregrinandi sub hac gelida non libeat sona laborem suscipere, domi residens, clarissimos nostratium consulat Historicos, Saxonem, Albertum Crantzium, Ericum Upsalensem, Johannem Magnum, Olaum germanum, & Jonam Islandum, indubitatam compræhensurus veritatem, auscultando Saxonem de his luculentissima toto passim opere documenta producentem, & in vestibulo ita præfantem: *Danicam porrè regionem, giganteo quondam cultu exercitam, eximiae magnitudinis saxa veterum bustis ac specubus affixa testantur. Quod si quis vi monstrosa patratum ambigat, quorundam montium excelsa suspiciat, dicatque si callet, quis eorum verticibus cautes tante granditatis invexerit.*

Idem progressu operis lib. I. triplex mathematicorum his regnis extitisse genus fatetur, quod inauditæ cognitionis propemodum miracula discretis exercuit præstigiis. Quorum primum, monstrosi generis vi-

ros complexum gigantes, inquit, ab antiquitate nominatos, humanæ habitum magnitudinis granditate corporum vincentes. Alterum autem magico peritissimum artificio, quantum superioribus habitu cessit corporeo, tantum vivaci mentis ingenio eminebat; atque hæc inter de rerum summa bellis certabatur assiduis, quoad Magi victores, giganteum armis genus subigerent, sibi non tantum regnandi jus, verum etiam divinitatis conscientes opinionem. Ultimum denique, ex alterna superiorum copula pullulans, authorum suorum naturæ, nec corporum magnitudine, nec artium exercitio respondebat; Cui tamen apud delusas præstigiis mentes divinitatis tandem aliqua accessit opinio. Atque hæc idcirco se fatetur tetigisse, nè cum præstigia portentave imposterum literis mandaret, lectoris incredula illis refragaretur opinio.

Eadem ferme complexus noster Ericus, sed longè majora Johannes, maxima verò Olaus & Islandus; Quos proinde non absque singulari æstimator horum dubius lecturus voluptate & utilitate. Caveat tamen sedulò nè hujus seducatur errore turpissimo, affirmantis contra totum vetustatis senatum, gigantes primos borealium regnum inquili nos. Sicut etiam provideat, nè opinioni, quâ in gratiam Jutorum astruit, Jettas, Jutas, Getas & Gothos, ut alias monui, conterraneos esse, in præjudicium non minus antiquitatis gravissimum subscribat. Nè prudentiam perturbet & illaquiet tuam, quòd in eundem similiter finem, pro Götum-Heimar / & Götum-Land / ille perperam Jötunt-Heimar & Jötum-Land operi suo inducat, inde mirabili & ridicula prorsus metamorphosi vocabulorum, Jætland & tandem Jutland effecturus. Siquidem illud Scandiæ regnum Gothia, & primus erumpentium portus Gotischanza seu Gotlandia, atque illi Goti vel Getæ non Jæte, plurimis ante gigantum in has oras adventum sint appellati. Neque ullum de gigantum commoratione regnum appellationem sortitum, præter Resaland / quod hodiè Risland seu Russia, de vulgari Resa / gigantem sonante, & secundum Islandum Cimbrorum provinciam à Kemper / hoc est athletis & pugilibus sic olim vocatam affirmantem. Deindè ab iisdem Jætas nominatis, eandem à veteribus Islandis Jötumland / posteà Jætland & Jutland tandem afferit nuncupatam, idque, velut antea, honoris non illibenter Jutis permittendum.

Quapropter hinc licet colligere, giganteam sensim ex Scandia pulsam barbariem, viribus Trojanorum succendentium, velut proxime dicturus, in Moscoviam & Cimbriam repedasse, cum utraque adhuc natione peculiare de corporum granditate captet encomium, lictis tamen in plerisque Scandiæ montanis ditionibus reliquis, prout evidentissima illic monstrant vestigia, usque ad Christianæ hic religionis propagationem perseverantibus, & tunc extirpati. Et horum quidem mirandas etiam pueri Scandiotarum, nec dum ephebiam egressi sermocinando & cantando recensent quotidie actiones, indigitant habitationes, & suggerunt interneciones, ut non prudentis sed insipientis potius esset, hic gigantum velle probare amplius existentiam.

Itaque nunc tertia in Scandiam alienigenarum, quam Trojanorum extorrium huc paucò post gigantes tempore intrantium statuimus, consideranda est migratio. Sed antequam illius à primordio me narrationi accinxero, insinuandum Saxonem & Ericum absque dubio per secundum Mathematicorum seu præstigiatorum genus, de imperio cum gigantibus identidem decertans, intellexisse Trojanos, rerum prudentia & forte peritia magiæ non mediocriter simul informatos. Velut neque illud

illud silendum, quod manifestis liqueat documentis, Trojogenarum in Scandiam effusionem. Siquidem Islandorum chronicon, quos Ziglerus in sua Scondia diligentissimos antiquitatis custodes vocat, affirmet post annum fortè mundi M. M. DCCLXXII. illorum huc factam migrationem, cum Othinus ex Asia deinde profugus, Scandiam ingrediens, celebrem Troadum illic memoriam vigere comperiret.

Immò vetustissima de raptu Helenæ, bello decennali, urbis excidio, indigenarum exito & superstitione exilio fugaque apud nos hodiè carmina, & Historiarum fragmenta, partim saxis, partim membranis, partim hominum fideli inarata memoria, familiarem in his oris Trojanorum liquidò monstrantia conversationem & commemorationem, pasim ostenduntur. Quos etiam una secum Byzantinorum invexisse tantam numinum apud nostrates venerationem, per Othini demum appulsionem plurimum propagatam & confirmatam. Nam & ille prout dicendum postea, à Romanis pulsus, vestigia sequitur Trojanorum, huc alias prollata, regiones sibi boreales subjiciendo. Verum non eo usus itineris compendio quo Trajani, quorum pars non minima, teste Vrsbergensi, relictis sociis ad paludes Mæotidas à Valentiniano inde postea exactis, recta in Pannionam, quam Ziglerus aliique Finnoniam, Plinium & Abbatem, vel potius rudes illorum librarios erroris argentes, intellectere, ac illinc denique in Scandiam migravit. Sed Asia minori ejectus Othinus Russiam invadit occupatque: qua filio Boo tandem commissa, per Germaniam Saxones petiit, subegitque. Quorum moderationem filii septem tradidit, ex quibus Vestmonasteriensis Anglorum chronographus, totidem Regum Anglicorum derivat familias, vero an falso de rivulo, ipsi probandum.

Sequentia Libri hujus I. ab Autore solum affecta.

III. Immigratio fuit Trojanorum, cum Troja diruta esset anno mundi 2783. per orbem dispersi, pars illorum huc tandem & in Daniam delata, indeque Danos volunt quidam à Danais dictos. Sed multa prius gessere bella cum Gothis, vide Gebulerum & Vasthaldum.

Ab his Regnerus genus suum ducebat, & illi fortè Cereris cultum invehabant, aliaque ut Martis & religionis commercia cum Byzantinis. Ita Gothi Deos horum colunt, donec Othinus & Thor inclauerunt. Expellunt gigantes &c. Sed tempus ingerionis non scitur exacte &c. Jam ad Reges pergamus omisso, ignorantes quos illi habuerint, nisi fortè Herculem & alios, vel Hernitum &c. Vilchinum &c.

Asmundus filius Suibdageri, cæsus cum Erico filio ab Hadingo, ipsumque Heninges Upsaliæ notat sepultum anno mundi 2960. quod falsum: reliqua Saxo.

Uffo II. Asmundi filius, succedit, quem itidem scribit Saxo Upaliæ sepultum à fratre Huningo: Ergò multa post secula vixit. Huitfeldius dicit Huningum ex Saxonia ortum, Suecis impositum &c.

Huningus succedit, quem Huitfeldius afferit quosdam opinari filium Sigfridi Regis Saxonie; Cujus mors ut & Hadingi nota, & illius quidem scribit Heninges anno mundi 3754. contigisse: falsum. Ast Cranzius dum incautius saltaret in exequiis, in vas medonis corruisse. Sed

Laurentius putat eundem cum Fiolmo &c. floruit & Othinus sub illo, qui forte Suecis tunc dominatus &c.

Regnerus Hunningi proles thronum adiit Gothiae auxilio Suanhuitæ, quæ Frothonem levirum sustulit, vide Lindenbruchium, Christiernum & Huitfeldium. Is forte est Dignerus.

Hotebrots filius, de quo vide notatos, & hic reor Chronicus Norvegiæ insertum. Nugatur Henninges & Gassarus, sed Lindenbruchium, Christiernum Petri, & Huitfeldium, ac Laurentium consule.

Johannes Dignerum facit Regem Gothorum &c.

Attilus filius, quem uxor & privignus deludunt, idque multo post tempore factum, ut infra ostendetur. Ideo hæc illuc referenda, ad Adelum. Item de cane Danis præfixo, vide Huitfeldium, Christiernum Petri, & Erasmus libr. 9. Marg. 149. Item revidendus Laurentius &c.

Hotherus, frater Attili & filius Hotebroti, pugnat cum Baldero & Boo filiis Othini, tandem cæditur, quod revocandum ad historiam Adeli. Rex fuit Daniæ & Sueciæ, insignis citharædus, ut Saxo libr. 2. pag. 35. Et falsum quod Sueci sint tributarii Danis facti cæso Hothero, ut Gaddii oratio &c.

Rodericus filius succedit, qui bellat cum Russo & Horvendillo, Rege Daniæ & Sueciæ, vide Lindenbr. Laurent. & Huitfeldium, fuitque filius Othini, ut quidam &c. Huitfeldius &c. Christiernus Petri.

Attilus filius fit Rex, impugnat Daniam à Veremundo ademptam, occidit Frovinum, & cæditur à filiis, vide Lindenbruchium, Christiernum Petri & Huitfeldium. Hinc chaos sequitur, usque Alverum, & Reges bis subinde positi &c. à Saxone cum variatione quadam & aliis chronicis &c.

Ideò cum necessario inter Attilum & Alricum essent aliqui ponendi, juxta Saxonis methodum, IX, Johannes Gothus inserit in cippis inventos, scilicet Botuilem, Carolum, Grymmerum, Thordonem, Gotharum, Adolphum, Algutum, Ericum & Lindormum, de quibus nihil in chronicis, nec tam conspicuè in cippis &c. vide Gothum Johannem &c. Sed qui desiderabantur, erant producendi ex chronicis Norvegiæ, non ex fragmentis &c. vide Lindenbr. de Hugleto æmulo & Huitfeldium. Sed Laurentius transit ad Alricum &c. & in vita Tordonis primum asserit Geldrium Ducem Saxonæ &c. post in aciem producit &c.

Hos verò ea propter inserit Johannes, quod Crantzius queratur de horum jaætura ab Attilo II. ad Alricum, quem dicit sub Augusto fuisse. Item de Regibus Daniæ quod per 500. annos solum 3. vel 4. regnarent. vide Sueciam Lib. I. pag. 225. &c.

Monet & Laurentius hic necessario deesse inter Attilum & Alricum, quod verum, sed non hac seriè &c. & dicit Johannes Daniam Sueciæ subditam fuisse, cum opinetur contrarium Crantzius, idque facit securius, quod neque Dani quidquam de his seculis: Sed nihil deest, rectè computanti & non altiora quærenti &c.

In fine historiæ Lindormii qui 9. Rex fictitius, memorat de adventu Julii Cæfaris huc, & quod carmini suo præfixerit, & impetrarit festum diem &c. secutus anilia Christierni Petri, quem & Huitfeldius reprehendit &c. quod nihil in Saxone vel Crantzio tale &c.

Deinde ponit Alricum Regem Sueciæ & Gestiblindum Regem Gothorum, qui cæso Alrico rege Sueciæ, facit Ericum regni utriusque hæredem, quod sub nativitate Christi rexit, & Frotho V. in Dania.

Sed

Sed falsa hæc &c. & Alricus multo post, quem & Alverum vocant &c.

Hæc videns Ericus Upsalensis, cœpit Historiam à nato Salvatore, tamen in multis oxorbitans.

Huitfeldius afferit arcem Helsingburgensem circa natalem Christi fundatam &c.

Ericus Sapiens Rex Daniæ, Sueciæ & Gothiæ, sed reor filius Gothiæ fuisse, cuius anno regni 34. volunt natum Christum, quod tamen arbitror incertum: Ericumque vixisse multo post. Neque illi assentior quod 38 regnarit annos, ut Johannes.

Fallitur etiam Saxo qui hunc Ericum vocat I. hoc nomine regem Sueciæ vel Gothiæ: Siquidem 2000. ante regnarit primus. Sed Ericus Upsalensis afferit se nullos reges inducturum, nisi qui regnarint Upsaliæ, postquam Scandia statum monarchiæ fuerat assedita, tamen fallitur ut dictum &c. confundens Ericum I. & Ericum II. cum huic Getericum & Philimerum subjiciat.

Hoc loco agit Saxo de Thore Lang Rege Helsingiæ lib. 5. pag. 8. Et Arngrimus 112. de Rege Bothniæ & finu &c. Gislo vult 34. ann. ante nativitatem Domini Ericum regnare cœpisse &c. & Johannes quod 34. anno regni natus sit &c. Sic cohæret &c. qui fuit Vermorum & Solongorum princeps. Ergo Wermelandia ante Olaum Tretelga.

Getricum filium quidam falso subrogant Erico, alii verius Haldanum, qui Gothiæ dominatus multò post. Saxo, Crantzus & Laurentius omittunt, Chron. rhythm. Ericus & Johannes ponunt, velut & Philimerum &c.

Haldanum ponit Johannes fratrem Getrici somnians, de quo vide ipsum, sub quo & Frotone IV. rege Daniæ inclinavit Starchoter, cui reor falso tribui 300. annos, cum hoc ex historiæ perturbatione accesserit; Quomodo possibile quod hinc ad Haquini Ring vixerit tempora, sub tot Regibus?

Philimerus quem alii Vilchinum, filius Getrici, sed non in Gothia, verum exteris regnans, quæque de ipso in nostris leguntur, petitæ sunt ex fabulis Theoderici Veronensis; ita Olaus &c. Gadolænus porrò nugatur, afferens 4. mill. Upsaliæ curiam huic fuisse Philm, etiam hodie vocatam &c.

Deinde quæ de Nordiano, Hernito & Ofantrice dicuntur, sunt petita de fabulis Theoderici Veronensis, & si quis Nordian. id est Nericus, & fortè de ipso hæc intelligenda, qui cum Othino &c. forteque bella cum Russis gessit, & in Sielandia cesserit.

Sivardus Rex Gothorum & filius Haldani, quomodo igitur Getricus, Philimerus, Nordianus, Hernithi II. & Ofantrix hic interim regnarunt? Olaus afferit 100. fermè post Christum anno hunc regnasse: falso &c. Sed Ericus non meminit Sivardi, mox ponens Ingonem post Hernithum, quem filium vocat Philimeri &c. Jam de bellis inter Sivardi & Caroli generos Johannes & Saxo &c. Nam Sivardum Sueonum Regem, & Carolum scribunt Gothorum, quam vere viderint ipsi &c.

Ericus nepos Sivardi ex filia, & Haldanus nepos Caroli decendant, dicitque Olaus victorem evasisse Haldanum 180. post nativitatem Christi &c. vide Lindenbruchium, Christiernum & Huitfeldium. Eosdem vide de Unguino successore, qui designatus Haldano vivente &c.

Cæsus à Regaldo Sueonum nobilissimo, qui regnis inde potitus

Aſmundus Regnaldi filius, qui filios Haborem &c. Sed Laur. hoc potius in Suecia factum putat, ut locus & cantilena, Aſmundumque vel Sivardum Regem Norv. &c. vel potius Haborem Norvegum extitisse & Sivardum Regem Sueciæ &c. vide Huitfeldium.

Hacho major natu filiorum Amundi, necem paternam & fraternalm compensat, sanguine regio ad unam puellam veniente, Giuritham, quam duxit Alphus frater Sivaldi, hinc uxor Haldani longè post. Crantzius Lib. I. pag. 232. & Dania inter plebes divisa.

Nam Sivardus Rex interim regnat apud Gothos, cujus filiam Ulvildam pulcherrimam duxit Alphus Sigari Regis Daniæ filius, de qua suscepit Giuritam, quæ nupsit Haldano, filio Borcari satrapæ Scaniæ, & Drotæ filiæ Regis Norvegiae. Is Haldanus vixit sub Alvero Rege Sueciæ. Unde qui poteſt fieri Giuritam per 15. Reges superftitem? Sed Haldanus poſt fit Rex Daniæ, reparat sanguinem regium de Giurita &c.

Ideo poſt Sivardum Saxo & Crantzius ponunt Alverum, nihil de regibus intermediis scientes; unde non mirum quod Crantzius queratur de dispendio, cui Johannes non bene succurrit, ignorans hoc chaos &c.

Hæc verò dubia faciunt ſucepta Sueonum & Danorum chronica. Nearco ſeu Niordo populus Upsaliā pro regia ſede affignat, cum Othinus illic deputaſſet thronum primarium & Frotho ſeu Ingo fundaſſet, quomodo Reges priores ibi dicuntur ſepulti? bellaque tot ibidem geſiſſe?

II. Certum eſt Othinum Asia pulſum XXIV. annis ante nativitatem Christi, quando Pompejus ditionem invaſit, & primo Russiam, inde Saxoniam, poſt Scandiam ſubjugaffe, illam circa Natalem Christi ingrediens, quo igitur jure ponitur à Johanne circa tempora Abrahæ? à Saxone ſub Suibdagero primum cognitus, Lib. I. pag. 12. & ſub Hothero dicitur is & Thoro pugnaſſe pro Baldero?

III. Idem Saxo dicit Thoronem Othino genitum, & tamen ille ſummus, Thorique fit mentio ſub Regnero, qui longè ante Nativitatem Christi vixit, Saxo 21. & 34. Ergo hi Reges poſt Christum florent, & vix aliqui priores adduci poſſunt.

IV. Fro dicit ſacrificia mutaſſe, Saxo lib. III. pag. 36. ſub Hothero, ſed Frö cum Othino huc ingressus, qui Rex Sueciæ & Daniæ forſan: Sed nec mutavit, quod prius viſtas non offerrent humanas, cum illa ſemper conſueto viguerit apud Gothos.

V. Balderus, Bous & Hemingus dicuntur filii Othini, & illi tamen longè prius regnant in Russia, Norvegia & Dania, & chronicus Norvegiae dicitur Thor unus Diarum in Trunvang ſedem naſtus, quem tamen chronicus S. Olai in Tingē genitum aſſerit, & Arngrimus patre natum alio, vide ipſum; illa cohærent!

VI. Gothus noster ait Humelum filio Upsaliæ Deorum mandaffe cultum frequentandum: Ergo tunc Upsal!

VII. Beda libr. I. cap. 15. ſuæ historiæ memorat anno Domini CDIX. Vitas in auxilium Britannis invitatos, cum 3. navibus accessiſſe, ductoribus Hengisto & Horſo, quos pronepotes dicit Othini, ex filio Vecta, & nepote Vetgaſto. Ergo venit huc Othinus longe poſt Christi natalem &c.

VIII. Saxonem ſecuti noſtrates, qui nullas ponit temporum diſtinctiones, graviter labuntur, & præcipue quod ſub Frotone æram poſnat, inde tot Reges comminſuntur & Dani chaos queruntur &c.

IX. Huit-

IX. Huitfeldius asserit Frothonem II. Othini filium à nonnullis censi-
feri, qui præavus Frothonis III. sub quo dicitur natus Salvator. Ergo &c.

X. Chronicum minus rhythmicum sentit tempore Davidis Urbarum
Sueciam dominatum. Idem quoque natum in Judæa Christum narrat, quan-
do Alaricus hic regnabat.

XI. Haborem & Hachonem chronica Norvegiae longo post tem-
pore inferunt, non ut Saxo, qui omnia commisicuit.

XII. Idem Chronicum Egillum Regem Sueciæ & Frothonem II.
Regem Daniæ contemporaneos ponit, licet multis distarent parasangis, si
vera Saxonis methodus.

XIII. Quæ Dani & nostri de Attislao inferunt, ista Chronicum Nor-
vegiae de Adelo, cui plus tribuo quam Saxonii, & aliis omnibus &c.

Nam & illic historia Norvegiae sùb Osteno Adeli filio affirmat
Rolvonem cæsum à Hiortvaro affine, qui sequitur in Chronicis Daniæ.
Ergo &c. tamen Rolfo ponitur XIII. Rex Danorum à Huitfeldio &c.

XIV. Frey, Frö seu Frótho, est idem quèm Gothus Friggam vo-
cat, idemque cognomento Inge dictus, tamen nostri duos faciunt Reges.
Is, ut Chronicum Gotland. & Longobard. Jornandesque scribunt, in-
genti priapo pingebatur.

XV. Saxo scribit VII. annis Starcaterum Upsaliæ consiliis Frey
moratum, igitur quomodo pervenit ad Haquini tempora? Nec credi-
bile CCC. annos vixisse, ut etiam plus quam CCC. annos post natum
Christum regebat Haquinus Rex & Haraldus Daniæ, cum Othini pro-
nepotes 409. Britanniam invaserint &c.

XVI. Giuritam Alphii filiam & Sivardi ex Alvilda neptem, du-
xit Haldanus III. Rex Daniæ, ex qua natus Haraldus Hildetan, synchro-
nos Haquini. Sed qui possibile, quod Gyrita vixerit per tot secula?
Ergo Sigarus post natum Christum multò, & tot Reges Sueciæ inter
Sivardum & Haquinum dominati. Nec defectus in Danica sed Sueti-
ca historia &c.

XVII. Sub Haquino Ring ingressus Sueciam Haldanus II. filius
Frothonis V. Ergo.

IV. Immigratio in Scandiam fuit Asianorum de minori Phrygia,
pulsi à Pompejo, XXIV. anno ante natum Salvatorem egresso, pulsi.
Dux horum fuit Othinus regni princeps, magiæ peritissimus, qui plu-
rima sociatus hominum copia, in primis Russiam subactam filio Boo tra-
didit regendam. Deinde Holsatiam devictam septem filiis liquit moderan-
dam, unde & Reges Angliæ sati. Ast ipse met Scandiam petuit, Sueciæ,
Daniæ, & Norvegiae dominium obtinens, illam quidem sibi diligendo,
Sigtioniam fundando, regni solium totius Scondiae Upsaliæ locando, &
Balderum Sielandiæ, Hemingum Norvegiae præficiendo.

Sed quæ insuper chronicum Norvegiae de hujus præstigiis, XII.
Diaribus, saga præmissa, morte Othini & illius cognomine, exilio &
uxore, alias dicendum &c.

Othinus seu Vodenus, vocatus As per synecdochem, & Asgard
infernum, asteslag tonitru, quod ille ex Asia huc processerit, toti Europæ
notissimus, Marti assimilatus, vide Adamum &c.

Posteri hujus vocati Drötter / & uxores Drottinger / seu Freyer /
& primus Rex dictus Digner, X. ab Othino. Verum an Nearchus &
Frotho Othino geniti, incertum. S. Olai chronicum vocat Niordum fili-
um Ingvar Freyers, & Johannes pariter. Quique ab Ingone descendebant,

avebant dici Inglingar, & Frö. Ideoque non reor hos Othini filios, sed comites & sacrorum Antistites, quibus par cum Regibus potestas fuit &c. Unde vocati Drottener &c. qui dominium liberius nacti, quod forte regia cessarit progenies.

Dicitur vero sub pronepote Thoronis rege Gilfue Othinus Sueciam ingressus, in chronicis Islandiae & Norvegiae. Ergo Thorus Othino prior, nec ipso genitus, quod credibilius. Monoculus fuit. Saxo.

Item quae narrat Jonas de Thoro & filia Goya videndum, indeque colligo Thorum aliquandiu Othinum antecessisse &c. non tam celebrem &c.

Sed mortuo Othino Sigtoniae, crematoque, qui legem tulit de parentatione, subrogant nostri Ingones; & ipsi Nearcum & Frothonem filios. Errant tamen cum Niord seu Nordian, unus Diarum successerit, qui neque filius Ingonis, ut quidam, sed Niord, Frey Balder &c. Archiflamines &c.

Itaque Niord ingressus Sueciam cum Othino, Niogard fundavit, indeque regnum adeptus, placide gubernat, & cum summa rerum libertas & pax sub illo, credebat plebs, illorum authorem &c. colebant. Nam mortuis sub ipso reliquis Diaribus, & Othino oblatis, moritur & ipse, Othinoque offertur cum lachrymis subditorum. Huic plebs Upsaliam pro Regia permisit.

Chronicon Norvegiae S. Olavi vocat Ingunar Freyers filium. Vetus Sueciae membrana, item, & ab illo genitum Neroch, qui genuit Frey. Sed falsum &c. Ponitur tamen post Frey in forma juramenti & Othinum ultimum.

Frey, Fro, Froe & Frotho, cognomine Ingui successit, frater Niordi forte, & unus Diarum, qui simul regnavit cum Nearcho, Rex pacificus, unde salutandi morem ab ipso mutuarunt. Estque idem de quo Saxo pagina XV. quod sub Hadingo, & veterem litandi mutarit consuetudinem XXXVI. non procul Upsalia sedem nactus Deorum satrapa. Hinc liquet quam Saxonis confusa &c.

Starchaterus VII. annis Upsaliæ vixit cum filiis Fro, quos inter Fiolum, ut Norvegiae & Sueciae authenticum memorat, indeque ad Ha-chonem &c.

Forsitan Frey renovavit morem homines immolandi, sub Trojanis omissum, & ab illo dicta sacrificia Froblod. Nam certum Gothos prius ita litatos. Hunc nostri confundunt, quod Frey proprio, & Ingui diceretur cognomine; ideo chronicon rythm. non ponit Ingones sed Frothonem &c. Freyberga ubi natus, ibi locus sacrificii.

Hic primus Sueciae monarca statuitur a plurimis, sedemque Upsaliæ Regibus deputasse, ut etiam designationem in Morasten, cuius Saxo reddit causam &c. Ideo Regiam bonis mobilibus & immobilibus ornavit, civitatem & templum fundavit, sacrificia instituit, dictus primo Drotte / princeps felix, & beatos habuit subditos, quam illi beatitudinem ipsi tribuentes noluerunt cremare, afferentes Deum mundi, semper libamina offerrebat.

Hujus statua, ut & vocalis Othini, circumgestata, edidit oracula, de quibus vide Saxonem ut Bizantii argenteam, & Arngrimum, ut quidam Islandus concubinam vitiarit &c.

Ab isto dies Veneris vocatus, non a Frigga ut Saxo & ali: quem quod Deus voluptatis, pingebant veteres ingenti priapo, ut Jornandes, Paulus Diaconus & Adamus fatentur. Ergo non femina, illique nomina de Longobardis indidisse, ad quem Reges genus ducebant, & genealogia Inglingatal dicta.

Uxor

Uxor Freya seu Frea post mariti obitum sacrificio præfuit, fœmina celebris, indeque fæminæ famosiores appellatæ Fruar / ut à marito Reges & toparchæ, Droter & Landz-Drottar / ac Drotningar &c.&c.

Hinc deprehenditur error Saxonis, & Westmonasteriensis, aliorumque Othini uxorem Fream seu Friggam vocantium, indeque sextam feriam vocatam, de qua Saxo multa nugatus &c.

Ideo perperam Frey sculpitur à Johanne, & fuisus Freæ in cœlo &c. His consentit Adamus, Crantzius à Saxone seductus. Idemque Adamus mentionem Inglingorum facit, vocans gigantes &c. de lucis &c.

Jam de sacrificiorum more, vide Arngrimum, & Huitfeldium in præfatione, item Adamum, & Saxonem pag. 15. 93. & 94. Nec non in Dania loco Letræ sacrificia fiebant, ut Dithmarus Mersburgensis, ex quo Huitfeldius, quæ & nostris inferenda &c.

Unde falsum quod Olaus libr. 3. cap. 6. vult à Nini tempore Upsaliæ templum extructum &c. De sortibus vide quoque Adamum, novaque omnia cum Othino inducta, per Sueciam, Daniam, Norvegiam Angliamque propagata &c.

Typotius in oratione inaugurali tres Deos S S. Trinitati non male accommodat, & quidam Thorgiort Deum vocant Norvegiæ. Olaus lib. 9. cap. 45. asserit cultum Cereris de Græcia huc translatum, quo & virgines olim hinc mittebantur. Sed errat Huitfeldius, afferens Leor-dag à balneatione appellatum. Sed lararium veteribus Höf dicebatur, inde Höfgodar &c. Et quod diis sub dio sacrificarent in montibus, ut Huitfeldius, forsan inde Freyberga dicta &c.

Vrbar ponitur successor Frotonis in historia plerumque Sueonum, non tamen exprimitur cuius filius. Sed illi Gothus tribuit Nordianum & Ostenum. Ericus, Olaus & Laurentius, sicut & utrumque minus chronicon ipsi tres filios, Osten, Nore & Dan, quos in palæstrita exercuit, idque deridet Laurentius. Insuper asserit prosum Vitis ab Urbaro præfixum, & cum Juti ab Augusto impugnati, Regem quoque Danum diligunt. Ergò sub Augusto? Sed rhythmicum narrat Urbarum tempore Davidis regnasse, quæ ut cohærent, linquo aliis. Item divisiisse filiis regna Daniam, Norvegiam, unde genus maternum, & Osteno Sueciam: postque canem Norvegis datum &c.

Verum Upsalense fragmentum, nihil de isto habet vel filio, & secus narrant Norvegiæ & Islandiæ annales, quos synceriores reor &c. Et prosum vocat filium Frotonis, quod falsum, ut reor &c. obiit Upsaliæ.

Ostenus filius, ut nostri, sucedit, qui cædem fratribus vindicaturus, & electionem Regnaldi per Gunnem suum ephorum plectit, subigit, canem Suerting præficit, plectendus membratim, qui non reverentiam exhiberet. Sed Johannes negat. Cæso Regnaldo dicit Gunnø Drotam absconditam, ex illa generans Hildegerum. Post Borcarus Scaniæ satrapa delet Gunnem, & dicit Drotam, inde cognitus Haldanum. Saxo autem in historia Sivardi sibi contrariatur de ortu Hildetan, & paginam 121. vide. Ergò per XII. reges &c. 120.

Fiolmus seu Siolmus successit, quem Johannes ebrietati asserit deditum, adeo ut à propriis tandem famulis in vase mulsi mergeretur. Ipsum à Gothis electum & Sueones deseruisse, qui Attilam designant, indeque XL. an. separati, interim IV. in Suecia, scilicet Attila, Digner, Dager & Alricus. Et sex in Gothia, Fiolum, Suercher, Valander, Visbur & Domalder; Tandem obiisse Fiolum, & sepultum in Westrogothia prope colles Kindiæ.

Sed Laurentius insurgit contra Johannem, afferens ipsum in Danos contemptum fingere, ubi tres tandem ab Hachone ad Haquinum regnarunt, & XVII. in Suecia, tamen esse discedendum à chronicis, quæ Reges illos VI. faciunt, potius vel defectum in Historia Danica, vel diutius vixisse &c.

Sed neque tangit omnino veritatem Laurentius, sed verum quod Reges Upsalenses fuerint, ut liquet ex chronicis Norvegiæ, quod Siolm afferit ad Dan Regem Daniæ invitatum, cui familiarissimus, nocte exeundo, casu per contignationem in vas subiectum corruisse. Sed quis ille Dan? Laurentius hunc eundem putat cum Hunningo.

Chronica minora ponunt Osteni filium, & submersum à famulis, Johannes patrem non exprimit. Sed Upsalense & Norveg. Frey statuunt filium & Regem Upsalensem, sub quo & Gothia, nam post Frose Reges Upsalenses seu Drotter scripserunt diu &c.

Suegder seu Suercher, Siolmi filius Rex Upsalensis, de eo tres opinione. Johannes quod Daniam in præfecturas divisam invaserit, ad integratatem redactus, de equo ceciderit, & brachium ad lapidem colliserit, indeque mortuus & sepultus juxta patrem &c.

Alii quod tam fortis, ut manum petræ immerserit cubito tenus idque dictum volunt allegoricè ad indicandam fortitudinem, ut etiam faciunt, quando integris arboribus pugnatum scribunt. Hoc autem sine læsione volunt factum, alii non extraxisse.

Sed chronicon Norvegiæ narrat ipsum vovisse quod Othinum visurus, unde profectus ad quam suam curiam in orientali Suecia, cum noctu à symposio cubitum iturus, vidi sub grandi illic falso pigmæum, illoque invitante ut intraret eò si Othinum cuperet videre, irruisse, & non comparuisse amplius. Quæ melior!

Valander post adiit thronum, quem Gothus afferit bellum à patre in Danos occæptum continuasse, & Ostenum Scaniæ & Hallandæ præfectum vasallum fecisse, pariter Danos impugnaturus, nisi bello molestatus ab Attila Sueonum rege, redire compelleretur, quos inter pax sancita. Deinde Retonem piratam à Russo immissum expulisse, dum in procinctu est, noctu suffocatur à dæmons, cui se devoverat ob victoriam obtinendam &c. Joh.

Chronica minora, Ericus & Olaus, ab incubo scribunt noctu suffocatum. Laurentius cavillatur Johannem ob bellum in Danos, Attlam & piratam.

Chronicon Norvegiæ filium Suegderi statuit, & cum insignis miles, regiones multas pervasisse, & cum Finlandiam ingressus, natus uxorem Drifvam, ex qua Visbur. Inde rediit Upsaliæ, promittens se post triennium redditum. Sed cum post X. non rediisset, missio filio revocat, & abnuentem sustulit beneficiis prope fluvium Scute, ubi cernitur lapis sepulchralis &c. verior.

Nota quod Gothus æmulando Saxoni, multa ex proposito fingit, non tamen laudandus &c.

Visbur, quem idem ob sordidam avaritiam à propriis exustum filii. Sed duo minora, Olaus & Ericus, ut filii citius regno vel thesauro potirentur, parentem exussisse. Sed Laurentius Johannem perstringit, quod morte Pontificiorum ita fingat in gratiam &c.

Chronicon Norvegiæ afferit Valandri filium ex Drifua, & quod uxorem duxerit Augdam, ex qua filios, illique tria latifundia loco dotis dedit, monileque insigne. Sed quod inde repudiasset secunda ducta, in-

dignati filii adultiores, qui cum XII. essent annorum, poscunt substantiam maternam, & nihil accipientes, minati se reddituros insperati. Ita faciunt, & patrem exurunt. Hæc vera &c.

Domalder filius Rex Upsalensis, quem nostri scribunt Deæ Cereri, Toreld vocatæ, Sueonibus ob annonæ ubertatem impetrandam oblatum. Sed Johannes statuit insignem tyrannum, quod probos prosciberet &c. Laurentius quod indigenæ sentirent famem ob scelus in patrem ortum, ideo filium eodem tollendum. Sed errant.

Nam chronicon Norvegiæ sentit de secunda natum uxore, sub quo cum ingens regnum famæ premeret, anno primo boves sacrificasse, secundo homines, & pejus evasisse; tandem anno tertio, ex primatum consilio Upsaliæ confluentium Regem occidunt, sanguine lingunt altaria, & meliora nocti tempora.

Domarus filius, non fratre genitus, ut Johannes, subrogatur, qui regnat pacifice, donec senio Upsaliæ migraret plenus. Sed chronicon Norvegiæ sub ipso fatetur prospera, pacifica fuisse tempora, & tandem mortuum esse sepultum in Furingzvold propè Upsaliæ, ibidem lapidem conspici &c.

Attilus, de quo Johannes, ut supra, quod Valandrum Gothiæ Regem impugnarit, &c. Nec ipsum Danis canem præfecisse, ast superiorem &c. Obiit Upsaliæ, &c.

Ericus, Olaus & duo minora, afferunt canem Radfa Danis dedisse Regem ob cædem consanguinei. Sed addit Olaus, id de homine malo intelligendum, qui more canum vixit &c. Item chronicon minus vocat Domari filium, & Dania Germaniaque subactis, in Italia belligerasse, & post obiisse Upsaliæ, falsa hæc; sed chronicon rythmicum in Gothia vult mortuum.

Sed Laurentius afferit spectare ad tempora Hotebroti, quodque illic eum ponant chronica, hic omittant. Verum neque eo spectat, sed ad inferiores, cum Norvegiæ Chronicon eadem de Adelo memoret, nec hic ponat. Authenticum quoque Upsalense omittit &c.

Dignerus, quem Johannes Sueciæ regem & coætaneum Visburo Regi Gothorum, optimis præditum moribus, quem quidam regio non ortum sanguine, alii Ostensi de sorore nepotem perhibent &c. Joh.

Duo minora vocant Attilæ filium, Daniam & alia ipsi regna tributaria, mortuum Upsaliæ tandem. Quem nonnulli afferunt XVII. tantum diebus regnasse. Quidam nepotem volunt Regis Dani ex filia uxore Domari.

Sed Laurentius ait ipsum Domaro subrogatum, sed cum non constet de rebus gestis, vel obitu, præstare filere, quam nugari, ut faciunt quidam &c. Verum chronicon Norvegiæ filium vocat Domari ex filia regis Daniae Dan, & Digui vocatum, Regem Upsaliæ primò vocatum, siquidem prius Drotter, & uxores Drottningar dicerentur; ortumque de prosapia Inglingorum, & naturali morte defunctum.

Dagerus, Digner filius, quem Johannes sentit Gothiæ regnum Suetico adjunxisse, & Domarum Regem Gothorum omnibus invisum ob scelus paternum renunciassæ &c, nugatur &c. Deinde bellum gessisse cum Russo, cuius agmen ductabat Rete famosus ille pirata, ast Dageri Burcarus & Ostarus; Ille cum Retone mox corruit. Post filio Alrico classem commisit, qui parta victoria Russo tributa imponit. Ita Johannes &c. Sicut etiam quod Danos expugnarit, filio domi relicto, & victor, copias domum remiserit, ideoque Danorum sublatus insidiis &c.

Ericus & Olaus, quod injurias vindicare in Danos voluit, sicut & tributa patri & avo solvi consueta, extorquere, sed cecidit ad vadum, quod inde Vepnevad dictum. Minora idem referunt, Laurentius quod occupatus Daniam, obvios habuerit Danos ad vadum Schiötams, ibique corruens, nomen indidit quod Vapnevad diceretur.

Chronicon Norvegiæ filium Digi vocat, adeò prudentem, ut cantus avium intelligeret, haberetque passerem, qui quotidie evolans nova referret. Qui cum semel evolans, agro vicini esset peremptus, irascitur Rex, & contra cæsorem proficiscitur (nam relatione sagæ cognoscit ita periisse) sed propè fluvium constitutus, sagitta tangitur & moritur &c. Hæc allegorica, inde Olaus aliis injuriis affectum, & forte uxor rapta, quæ per passerem intelligitur &c. Sed Chronicon Upsalense in vado illo submersum à Danis &c.

Alaricus seu Alverus Dageri filius, quem Johannes non accepto tributo à Russis, & insuper cæsis legatis, illos fatetur impugnasse, quando principio pugnæ Hildegernus Gunnonis filium ad duellum &c. Tandem prodiit Haldanus uterinus frater, nuper ex Scania eò profectus &c. vide:

Tamen XII. pugilibus configlit Alricus, victorque tributa imponit. Ergo Haldanus & Hildegernus diu vixit &c. non cæsus à fratre, ut Ericus, ait grandi senio mortuus. Johannes qui secutus Crantzium, is enim in senio sentit obiisse &c.

Sed Ericus, Olaus, Laurentius & duo minora volunt occisum à fratre per frenum, licet Johannes contrariatur, quem Laurentius taxat, & impugnasse Russum. Item historia minor quod sub ipso natus Christus in Bethlehem &c.

Sed Chronicon Norvegiæ post Dagerum ponit Agni filium, de quo postea, & ipsum duos habuisse Ericum & Alricum, insignes milites, qui die quodam pro domandis equis soli progressi in campos, ubi postea mortui inventi, & creditum se frenis occidisse cum alia non haberent arma &c.

Errant autem qui confundunt Alverum filium cum Alrico patre &c. Nam Alricus duos filios liquit, Ingvi & Alverum Reges Upfaliæ. Ergo post Dagerum Agni, inde Alricus, post Ingvi seu Ingemar &c.

Anno Chisti CDIX. Vitæ in auxilium Britannorum vocati adnavigant ductoribus Othini pronepotibus. Beda.

Ingemarus, seu Ingo filius Alrici, qui bellum Haraldo Regi Danorum parat inferre, Scianam recuperaturus. Unde Haraldus exercitus disponendi rationem ab Othino edocitus, Sueciam invadit. Simul persuasit Reginæ suæ consanguineæ maritum tolleret, quod & facit, admissis in conclave qui ipsum clam suspenderent. Sed nec ita Danus vicit, cum Olaus frater regis & proceres ipsam pro meritis mulcent & Danum sugarint, Olao pereunte, & Ingello filio Ingemari succedente. Johannes.

Chronica minora, quod Alrici filius suspensus in loco Agnefit, ubi nunc Stockholmia, in arbore manibus Reginæ, & catena aurea. Sed Olaus per alios dicit suspensum, quos illa habuit chariores quam Regem. Idem frater Laurentius, querens simul de negligentia scriptorum, qui parum, & intricatum &c.

Saxo & Crantzius narrant Alarici filium, & fratres Olaum & Ingellum fuisse; Deinde Dano bellum finium gratia augendorum induisse, quem & Olaum Haraldus occurrent cecidit. Unde Ingellus in-

valetudinem prætendens timensque, per legatos pacem & sororem obtinet conjugem. Sed errant de obitu Ingemari.

Sed chronicon Norvegiae avum Ingemari suspensum rectius adnotavit. Nam is Dageri filius & Rex Upsaliæ, insignis miles, Finlandiam occupat, filiamque Frostonis regis & fratrem captivos abducit. In reditu delatus in fauces ubi nunc Stocholmia, erectis tentoriis sub arbore celebrat nuptias, in quibus monet ebrium regem Schialvia firmaret monile, per quod reste ducto dormientem suspendit sponsum, & fugit cum fratre, indeque sinus Agnefit. Itaque non Ingemaro contigit &c. Sed autenticum Upsalense vocat Ingemar, aliud Regem Agnar &c.

Idem refert Alrici filios Ingui & Alver, sed illum celebriorem, ideoque Beram fratriam plus æquo amasse Ingui, & quodam vespere, cum ivisset Alverus dormitum, remanent colloquentes ut alias. Quibus succensens Alverus, regressus transfixit fratrem, illeque versus cecidit Alverum, sic ruit uterque &c. Hic est quem nostri Ingellum vocant, confusum cum avo &c. qui ex uno faciunt duos &c.

Johannes non Ingellum dicit per legatos pacem & uxorem obtinuisse, sed contra &c. Nam in primis cælo fratre fugat Danum, & arce diruta in signum victoriae reduxit sororem Dani captivam. Unde hanc recuperaturus, restaurat Danus bellum, & repellitur. Sed tertio attentans, dissuasusque à Consiliariis, pacem & sororem offert per legatos, obtinetque,

Post civili bello excipitur, dum proceres monent uxorem sibi nuptam & pluribus expositam coërceret, quando à fratre inter litigia cæsus; Sic duæ fæminæ Suecis multam induxere perniciem, Mixta. Johannes &c.

Olaus, Ericus & duò minora vocant Ingemari filium, ut & Johannes, & cæsum à fratre ob infamiam uxor Beræ. Et addit Olaus, fratrem imperium affectasse &c. Laurentius idem quod Johannes vel Saxo &c.

Crantz postquam sensum fecutus Saxonis, addit quædam chronicæ testari, raptam ab Ingello Beram, & bello defensam, donec compulsus Haraldus consentire, illaque prole mascula suscepta obiit, vel forsitan ille intelligendus &c.

Hinc ponit Norvegiae chronicon Huglethum Regem Upsaliæ & filium Alveri; Sed Ingelli Jorund & Ericum. Atqui Huglethus divitiis & non militiæ deditus, avarissimus sedet pacifice, colluviem veneficorum in aula fovens. Quod rescientes Hacho & Hagbar Duces Norvegiae cum copiis Upsaliam pergunt, quibus occurrens Huglethus in Furingzvald occumbit, & Haco regnum tres annos gubernat: cumque Rege Sueciæ cæsi duo filii &c.

Interim filii Ingelli milites famosi piraticam exercent, & occurrentem Gudlogum Regem Helgelandiæ captum suspendunt. Post reversi in patriam, cogunt militem, quibus cum Hacho congressus, letale capit vulnus, Ericus cadit, & Jorund ad naves profugit. Hacho autem morti proximus, cum aliis funeribus in navem se mandat portandum, qua incensa & velis elatis in altum pergit & moritur, idque propter nominis celebritatem &c. Ergo Signe nunc fuit, & filia Huglethi, à quo Hugletuna nunc Hatuna &c.

Jorunder seu Germunder Rex factus Upsaliæ, piraticam exercet, & quodam anno sub Jutia populans & Limfiord, filius Regis Helgelandiæ ipsum aggressus, capit, & mox suspendit, quod patrem &c,

Johannes memorat bello injurias patri & avo à Danis illatas vindicasse, victoremque evasisse, supplicibus culpam deprecantibus & insidias detegentibus induluisse, fīsumque. Sed dimisso milite domum, illum in sinu Othini suspendunt. Et de hoc nihil Saxo.

Ericus, duo minora & Laurentius, quod suspensus in Othesund & sinu Limfiord, additque Laurentius id dubio procul victi Haraldi suasu factum in victorem &c. vel potius Haldani, qui post Sueciam invasit. Quod mirum si filiam habuerit Jorunder uxorem.

Haquinus, quem Chronicon Norvegiæ vocat Haugne, filium Jorundi, & ipsum cum XXV. regnasset annis, pulsus ab Haldano Frononis filio (ego Borcari sentio) in Westrogothiam, ubi totidem mansit, donec Haldanus Upsaliæ obiisset, quod rediens Haquinus, ingens obtulit sacrificium pro vita obtainenda diuturnitate.

Tunc in somnio cognoscens, quod LX. annos victurus, si unum filiorum offerret, id facit & vixit Upsaliæ, donec Olo Rex Daniæ ipsum denuo in Westrogothiam compelleret, unde rediit post annos aliquot cæso Olavo per Starcaterum, offerens secundum filium, quando dormienti revelat Othinus tam diu vieturum quam X. anno suis unum filium offerret. Cumque septem obtulisset, ita fuit senex ut lectica portaretur. Sed oblato octavo, per X. annos lecto adhæsit. Deinde obtulit nonum, & fixit cornu velut infans. Denique & decimum voluit immolari, sed quod ultimus, renuntiavit ordines, sic mortuus & sepultus Upsaliæ, indeque mors Augni dicta, quando quis senio, non morbo obiret. Sed de pugna Bravallensis nihil.

Saxo narrat Calmarniæ oppidum tunc extitisse. Ergo vetustissimum. Sed an à Calmer ut Olaus Lib. 9. cap. 21. ? &c.

Sed nostri Historici Saxonem secuti, referunt Haquinum sorore genitum Haraldi, & necem majorum de avunculo quæsitum, induxisse illi bellum, qui VII. annorum inducias, interim se parans, & tandem infinitis copiis in campis Verendiæ Bravallenibus congressos, victorem Haquinum evasisse. Qui Hetham vexilliferum Danis præficit, & Olonem Scanis & Hallandis &c. Sed Danorum suasu invadit Hetham totaque potitur Dania, quem nimis rigide gubernantem inducunt Starcaterum in cædem &c. post Omundum Danis præficit Haquinus. Tandem & bella gessit in occidente, ducta Ringonis Regis Norvegiæ filia. Tandem Rex gloriissimus Sveciæ Daniæ & Scaniæ obiit, &c.

Chronicon rythnicum afferit pugnatum prope Scatalef, & Saxo quod XI. millia Sueonum & XXX. Norvegorum corruerint præter innumeram multitudinem &c.

Et Chronicon minus tam senem extitisse ut cornu sugeret. Sed reor ego dictum Ing non Ring, quod genus duceret de Ingone. Et chronicon Upsalense quod XI. annis cornu fixerit &c. Vide etiam Erasnum lib. 2. Margareticor. pag. 24.

Saxo vocat Haquinum Haraldi natum sorore, & ab illo donatum Svecia. Sicut & Othinum discordiae authorem: fabula?

Alibi verò dicit Olonem sorore genitum Haraldi. Huic bello interfuit Starcoter, qui post conducto percusso Hathero mortuus et sepultus in Raliungensi campo, quem alii Tavastum, alii Helsingum vocant, isque descripsit hoc bellum carmine &c.

Starcaterum Suecum non Tavastum ut Olaus deceptus à Saxone Lib. 5. cap. 3. indicat nomen ut Johannes probat &c.

Egillus X. Haquini filius, qui regno potitus per legatos tributum poscit ab Omundo Rege Daniæ. Sed is legatos ad viam publi-

carn

cam curat suspendi, & ideo bellum parat Egillus, cui Tonninem ex Dania profugum præficit. Qui donis à Dano corruptus, arma in Regem vertit, quem auxilio Regis Daniæ octo præliis vicit, & nono tandem captus suspenditur Tunno. Deinde proceres in Egillum conspirant æquitatis osores, & taurum maleficio insanientem Regi objicunt, à quo trajectus occubit, Upsaliæ sepultus. Ergò velut Frotho III. Rex Daniæ periiit: Johannes Hoc Laurentius irridet.

Saxo & Crantzius nihil de Egillo habent, mox ad Gotharum procedentes, Ericus, Olaus & duo minora, octo præliis victum, & nono victorem, tandem à tauro confossum.

Sed Chronicum Norvegiae memorat, quod militiæ non deditus, & cum pater obiret, illius quæstorem Tune, pecuniam scrobibus mandasse. Is indignans se à filio non promotum, thesauro effosso cogit militem & octies Regem profligat, & tandem Egillus auxilio Frotonis IV. Regis Daniæ nono prælio ipsum & sectatores delet, promissum tamen non solvit Dano tributum illo triennio quo supervixit, quod amicissimi. Deinde taurus in sacrificii usum suginatus, mactandus lanionis evadit manus, sylvas petens, & venanti Regi occurrentis, lancea frustrâ petitus, ipsum transfodit, conditus tumulo Upsaliæ &c. Ita chronicum Norvegiae.

Sed Froto non synchronos, cum XIV. sit Rex ab Omundo, nisi gravis in chronicis Daniæ sit error &c. Nec is Vendikraka dictus, sed Other &c.

Gotharus Egilli filius, missus in Daniam legato Ebbone nobilissimam poscit filiam Omundi, & consensum obtinet. Ideò pro virginem deducenda Ebonem denuò magnificentius expedit; Sed in hospitio latronis apud Hallados sociis amissis, ad Regem suum tristis rediit. Id ratus Otharus fraude Omundi factum, bello impetit, & occurrentem filium Sivardum profligat, magnam Daniæ partem capit, sponsam vi abducit, & Simoni Snare præfectum Selaniæ, Scaniæ & Hallaniæ deputat, qui sæpè Sivardum profligat, & tandem uterque cadit.

Deinde narrat Longobardos ob famem sub Othero egressos, non anno DC XCVI. ut Saxo, sed CCCLXXXII. ut Crantzius ex supputatione Eusebii asserit, eosque Ducibus Hachone & Ibbone, in primis in Moringiam & Calmarniam profectos, ubi classem naucti petunt Gotlandiam, indè Germaniam, postque sedes varias, Italiam ingressi, ubi Romanis pulsis, ditionem inter alpes Appenninam occupant.

Post indignatos quosdam procerum ob sobrietatis legem à Gotharo latam, Jarmerico copias adduxisse, quibus occursum Regem à Fasto fratre ob legem eandem cæsum, itaque Fastonem regnasse, & post ipsum filium Gudmundum &c. Hæc Johannes, quem vide de Longobardis.

Laurentius dicit quod Rex quendam procerum Sibboneum stupri germanæ illati habens suspectum, occiderit, & hinc proceres in se concitasse, & Jarmericum &c. nihil loquens de Longobardorum expeditione, neque Crantzius hoc loco. Sed in vita Sionis dicit Laurentius Longobardos præsertim ex Scania egressos sub Ibore & Acone, primum Gotlandiam, post Rugiam petentes, ubi C. annos confederunt. Deinde Austriam & Ungariam adeunt, illic CLXXX. annis hærentes. Tandem Italiam &c. ubi CCVI. annis regnant & XXXII. habuerunt Reges &c. Capitur à Carolo Magno Desiderius &c.

Alii ita supputant, quod CCCLXXXIV. Rugiam hinc ingressi; Inde concedunt ad Danubium & Ungariam CDLXXVI. ut Wolfgangus Lazius; Anno DLXVIII. Italiam intrant, ut Sabellicus, ubi regnant CCVI.

annis, DCCLXXIV. capitulatur ultimus Rex Desiderius. & XXXII. ab exitu habent &c.

Sed vix reor sub Gotharo egressos, sed multo ante, & cum egressio illorum tam propinqua temporibus Caroli Magni ponatur, inde Crantzius imaginandi chaos in historia Danorum, & Johannes tot inserendi sumpsit occasionem: Cum tres tantum Reges inter Snionem, sub quo dicuntur egressi, & Getricum, qui Imperatorem impugnat.

Olaus ab Hillebardis vult dictos, & paulo post natalem Christi progressos &c.

Vide Crantzium in historia Snionis, an mulier illa fuerit Disa, de qua Olaus lib. 4. cap. 6. Item carmen Erasmi pag. 131. Sicut & Cromerum Lib. 2. pag. 19. de victoria Polonorum in Danos, & Longobardi CCIV. annis tutati suum decus, donec aliqui de Regum familia essent &c. Crantzius pag. 72. &c.

Chronicon Norvegiae vocat ipsum Otherum filium Egilli, à quo non colente amicitiam ut pater cum Frotone, Danus tributa poscit. Quibus non impetratis, regnum diripit, & spoliis remeat onustus. Deinde cognoscens Otherus Frothonem bello implicatum Ruthenico, Jutiam classe invadit, ubi obviant Dani, ducibus Othero & Frostone, strageque ingenti utrinque facta cadit Otharus cum suis, funusque in colle expositum corvis, & lignea cornix missa in Sueciam cum his verbis: Non majoris aestimationis fuit vester Otharus &c. Hinc Otherus Vendilcraca dictus à posteris &c.

Adelus Otheri filius regnum adeptus, venia proposita revocat profugos ex Dania, nè versi in desperationem deteriora molirentur. Deinde revolvens damna patri & sibi à Dano illata, invitatus jungit copias in Jarmericum, cum Slavis, Vandals & Rugiis, de quo Cromerus, quibus praefectus Haraldus Gothorum princeps, qui una obsidet Jarmericum arte quadam, & trucidant tandem cum suis, frustra opem Othini implorantem, & belli modum à Diis discentem. Hac parta Victoria reversus Haraldus cum spoliis &c. & Rex Diis Upsaliæ ea propter libaturus, in limine lapsu equi moritur & prope sepelitur. Johannes Gothus.

Ericus, Olaus & duo minora, filium Othari, & Diis sacrificatus equo ceciderit & obierit &c. Fragmentum vetustum Upsalense, quod juxta Dianæ templum ceciderit sacrificaturus. Laurentius quoque idem, addens Diana oblatum, eamque à Gotho Scythicam non Græcam fuisse, quodque idem perhibeat Jarmericum cum Slavis impugnasse. Sed Crantzius idem quod Saxo, videndique.

Chronicon Norvegiae filium Othari dicit, qui diu regnavit, & dives Rex appellatus. Is piraticam exercuit, inter alias ditiones Saxoniam invadens, ubi aulam Geirtiveri Regis populatus, homines pecudesque ad littus pellit, quos inter fuit Irla, quam Adil ob pulchritudinem & prudentiam duxit uxorem. Deinde Sueciam invasit Helgo Rex Dianæ filius Haldani, qui rediens præter alia spolia Reginam abduxit & duxit, Adelo fugiente.

Cum autem filius Rolvo Kracha ex Helgone suscepitus trimus foret, venit eo Olava Geirtiveri uxor, dicens Irla quod Helgo maritus etiam pater foret, & illa mater. Ideo deserit Helgonem Adelum repetens. Rolvo autem octavo anno designatus Rex Dianæ & Letræ. Adelus inde confligit cum Ale Norvegiae Rege in lacu Westrogothiaæ Vener, victorque evadit, cadente Ale. De qua pugna, ut etiam quo-

mo-

modo Rollo Sueciam ingressus, aurum spargit in Furingvoldio, integrum est historia Schioldunga Saga dicta. Coætanus fuit Godegest Regis Helgelandiae, cui & equos duos destinat Aloni ablatos &c.

Tandem diis sacrificaturus circumequitat salam libaminis, & cespitat equus, Rex lapidi allisus moritur & ibi sepelitur. Hinc liquet Attulum & Adelum eosdem. Confusam Daniæ Historiam, ut quæ de Philmero eadem de Helgone dicantur &c.

Ostenus, Adeli filius, sub quo teste Norvegiæ Chronico, cæsus Rollo in Letra à suo sororio Hiortuaro. Tunc Dani & Norvegi Sueciam graviter populati, multique se reges appellant sine regno, solum mare infestantes, dictique inde &c.

Et hinc liquet quantum Saxo aberrarit in sua historia &c.

Ericus & duo minora narrant, quod æmuli cognitionis alterius, domo inclusum cum familia exusserint universa &c. Laurentius, quod in Ostrogothia domo inclusus fuerit exustus. Idem Olaus, causam ignorans, forte Irfa &c. Sed Crantzius filet usque tempora Snionis. Fragmentum Upsalense dicit inclusum domo à Gothis exustum.

Johannes refert, quod suos duntaxat promoverit, alios procerum oppresserit. Ideo fit odiosus patriæ, cumque semel ex Suecia in Ostrogothiam venisset, pernoctat prope Nycopiam in curia quorundam nobilium, qui videntes regem omnibus fordere, capta occasione noctu exurunt, tota ipsis patria gratulante, honoresque decernente &c. Hæc Johannes &c.

Ingemarus, Osteni filius, quem Chronicon Norvegiæ vocat Ingvardum, militem insignem, qui, quod regnum à Danis & populis orientalibus tributo exhaustum, pace inita cum Danis, hos grandi classe impugnat, victoriæ sèpius reportans. Semel autem prævalent orientales Regem trucidant, prope littus non procul à Steine conditus tumulo &c. miles fugit ad naves &c.

Chronica minora, & Ericus, quod Daniam subjecerit, & tandem cæsum à Danis sub Logundö in Beltesund, quem alii Canutum quoque vocant.

Laurentius vocat insignem militem, adeo quod & Daniam occupavit; Sed inter illos post incautius agens, in quadam insula maris Baltici Öföil vel Langö, insperate oppressus cadit. Idem Olaus Petri &c.

Fragmentum Upsalense vocat Canuti agnatum, & filium Brautemunder habuisse. Unde transeunt omnes. Johannis Reges ob Longobardorum egressionem insertos, & Brautemundum Inguaro subjiciunt &c.

Johannes ob indolem singularem à Nobilibus patrem cremantibus servatum, votisque illorum respondisse. Nam in primis Russos, Livones & Curetes fecit tributarios. Deinde impugnat Hibernos & Britannos, incertumque an victor vel victus evaserit: tandem Danos subigit, à quibus dum incautius illic moratur, occiditur in Langö &c.

Inde ponit filium Ingemari Holstanum Regem Gothorum, & Sueonum Biornonem, quod Chronicon Daniae ponat diversos Gothorum Reges, non tamen nominet.

Post ut inter Sivardum & Holstanum lis oritur ob Scaniam, & quomodo Sivardi filius Shio ambit filiam Holstani &c. Nam Crantzius in sua Dania Scaniam asserit Suetici juris hoc tempore perstitisse &c. Vide Crantzum lib. 2. pag. 40. & Huitfeldium &c.

Verum quidem Saxonem Gothis & Suecis diversos assignare Reges, sed quod ille Biorn, & hic Holstanus vocatus, non reperio, & hunc pos-

tius Brautemundum reor vocatum, sed illius rapta fuit à Snione uxor
Hic queritur Crantzus lib. 2. pag. 44. & 77. quod Chronica
Scandiae à temporibus Snionis quando Longobardi egressi, anno CCC-
LXXXII. ad DCCC. quando Carolus Magnus dominatus, adeo pauca
tradant, & quidem ultra CCC. annos in historia Suetica omissos. Hinc
Johannes ansam sumit fingendi &c. quodque interim Longobardū
XXXI. habuerint Reges per CD. annos: Interim XXVI. in Suecia &
Gothia regnāt. Johannes.

Vide Crantziū lib. 2. Dan. pag. 41. quomodo nomenclaturam
Longobardorum investigat. Vide etiam Huitfeldiū in historia Haraldi IV.
de Regum Danorum dispendio &c. Sed male designatus Longobardoruī
exitus, non catalogus Regum &c.

Sed quod Johannes inter suos XXI. Reges pōnat Rödolphum, non
infīcior Paulum Diaconum afferere D. post Christum anno ad Theode-
ricum Gothorum regem migrasse ex Scandia, posthabito throno, sed
incertum an Gothia Rex vel Regulus alicubi.

Idem de Hathino dicēdūm, ad quem Johannes sequens Proco-
piū, ab Herulis legatos missos in Thyle habitantē &c. Sed hæc in-
certa, & Procopius vocat Datinum non Hathinum, nec Hatuna fundatam
reor ab isto &c.

Deinde quæ refert de Gostago mihi suspecta videntur, aliis ru-
minanda permittens. Sed Arthus Gothis idem est qui Anglis, ut ipsa
probat historia de Suan conficta, ad quam Johannes provocat.

Circa hæc tempora dicuntur Normanni egressi, sed ego reor
longè prius inde piraticam actam &c.

Vide Crantziū lib. 4. Daniæ pagina 72. & quod captus De-
siderius Rex Longobardorum CCVI. juxta Sigebertum & Reginonem.
Ita ponit XXI. Reges noster Gothus inter Ingemarum & Brautemun-
dū, sed quā veritate ipsi linquo comprobandum.

Chronicon Norvegiæ Brautemundum subrogat Inguaro, vocans
ipsum filium & Regem pacificum, ditemque, qui tandem necem paren-
tis ulturus, populis orientalibus bellum intulit, quibus subactis, victo-
riam & spolia refert. Sub illo rege humanissimo insignis rerum co-
pia fuit apud Sueones. Is enim Sueciā silvis purgavit, regnum am-
pliavit, vias paravit, inde Braut Anund vel Bröttō Anund. Tandem
unum prædiorum invisurus ineunte vere, in convallibus nivibus & aquis
submersus.

Fragmentum Upsalenſe vocat filium Ingemari, & cæsum in Ne-
ricia a fratre contendit, filiumque Ingellum successisse non Sivardum vel
Birononem &c. Chronicon utrumque minus vocat item Ingemari fi-
lium, & cæsum in Nericia per Sigved seu Sigvardum fratrem in
campo Hogahed. Idem Ericus & Olaus Laurentius idem, & quod cæsus in
Himelohed seu Hogahed.

Tamen forte aliquos Ingemarum & hunc inter pōnendos ob-
Longobardorum egressionem, sed Johannes catalogum non admittit,
Artum esse Anglicum non Sueticum. Post refert ex Olao fratre
quid Hemoldus narret de Haraldo Rege Gothorum &c. Jam se-
cutus Johannes suum cerebrum & Saxonem, ponit Beronem, Sivar-
dum & Herotum, aliosque, quorum descriptionem, vide apud illos &
Crantziū. Sed Johannes afferit Brautemundum cognomine Frö, à fra-
tre Sivardo cæsum in Neritia in campis Cœlestibus, licet Sivardi Regis
Norvegiæ niteretur auxilio, ipsum vituperans, quod desertor religionis
Chri-

Christianæ, ut Bero cultor. Nuga &c. aliud longe tribuit ipu encomium chronicon Norvegiæ.

Itaque de his silent nostri historici, Crantzus idem narrat de Fro quod Johannes.

Ita perveni ad tempora Magni Caroli Imperatoris; hæcque Caja-naburgi adnotata 1619. mense Junio.

Notandum verò quod quem Saxo vocet Frō, eundem & esse Sivardum, quem non regem Sueonum sed Gothorum, & cum Brautemundo rege Sueciæ in Nericia pugnasse; siquidem Saxo commisceat Reges Sueciæ & Gothiæ. Verum an fratres fuerint hæsito, & chronicon Norvegiæ nihil memorat, ut neque hujusmodi tribuit exitum Ingemaro.

Item quod Normannorum primæ excursioni certum non possit tempus assighari, cum à sui exordio semper Norvegi & aliæ boreales gentes vixerint piraticis prædationibus ut infra &c.

Ingellus Aunundi filius patri succedit, qui lucta superatus in pueritia ab Alpho, Inguorti Regini filio illacrymatur. Sed Suibdager nutritius assatum lupi cor illi dedit manducandum, unde ferocissimus evasit.

Deinde regno Upsaliæ potitus, evasit primarius Scandiæ rex prout Othinus decrevisset. Nam thronum patris consensurus, in scabellu inferiori sedit, & allatum cornu surgens exhaustus, thronum descendit, jurando ditionem paternam dimidio plus se aucturum.

Illuc VI. Reguli convenerant, aliquie primates, & vesperi quando universi somno vinoque sepulti, jubet ædes incendi; VI. Regulos ita flammis absolumens, & ditiones subdens.

Gram Sudermannorum Rex suæ gratulatus absentia, Hiortvaro Ulphingo alteram Regis filiam Hildegerdem despondet, fœdusque in Ingallum pangit.

Itein Haugne prius habuit filium, qui Gothorum fuit rex, quem Hemoldus Herolt, & Saxo Herotum, eundemque reor extitisse.

Anno. DCCC. Goths Vinetam opulentissimam, ad ostia Oderæ civitatem inhabitantes, insurgunt adversum concives, & Heroto seu Haugne Gothorum Rege Danisque in subsidium vocatis, funditus delent. Unde victores permissione Heroldi migrant in Gotlandiam, Visby emporium famosissimum exordientes, quod Bircâ desolata inclaustruit. &c.

Sed Ingallus Haugni non timens potentiam, nec affinitatem Grami, ipsos ad pugnam invadit paratos. Atqui perfidia suorum, scelus regium detestantium, vixus, & saucijs fugit Upsaliam, diuque exinde pugnatum, donec pax inita, quoad viverent duratura.

Hac securos invadit deinde Ingallus, & in Selia insula Gramum & generum Hiortvarum convivantes exurit: ita sparsum quod XII. exusserit Reges & regna subdiderit; forteque Heroltum quoque. &c.

Sed quomodo procatur Regnerus in aula Heroti, & à filio saceroquie impugnatur, vide alios.

Deinde Regnerus & forte Herotus scelere & tyrannide offensi Ingalli, bellum meditantur. Cui etiam Asa seu Esa filia præbuit causam, quæ filia Ingelli, nupta regi Scanori, causa fuit interitus mariti & leviri, jamque parenti profuga adhæsit.

Hæc horrenti patri crudelitatem Ivari & reliquorum, dedit consilium, ut se & familiam incenderent, paruitque & periiit, memoriam non gloriam inde adipiscens. De hac & Olao Vermorum re-

ge loquitur Saxo in historia Haquini Ring, filiam Olai memorans, quod falsum, nec Olo hujus fuerat maritus &c.

Postmodum Regnerus aliquot annis, filiique Sueciæ & Gothiæ crudeliter dominati, interim Ola Ingiali filio in Vermelandia latitante. &c.

Etenim ita sublato Ingiallo insurgunt indigenæ stirpem deleturi, ideoque cum populo fugit multo Olaus in deserta prope Vermelandiam & Elbiam, quam vel cœpit vel excusat, idque Sueones inaudientes per contemptum vocant Trätelga.

Duxit autem filiam Reguli Sologiæ dictam Sölvæ, ex qua plurimos nactus filios, quos inter Haldanus non ditionem solum avi materni, sed & totam nactus Norvegiam, regiam interpolans progeniem, ut chronicò diximus Norvegico. &c.

Varios sequor authores in prima parte, ab Ingone, Norvegiæ Chronicon usque tempora Caroli Magni. post verò, Mag. Adamum Breensem, usque ad Regem Philippum, tandem nostros & alios. &c.

